



Sammelband

C 6 B  
165

2681





17.

D. O. M. A.

DISSERTATIONUM SUPER AUGUSTANAM CONFSSIONEM,

ejusque  
APOLOGIAM,  
DECIMA,  
DE

BONIS OPERIBUS,

EX ARTICULO SEXTO,  
(ut & vigesimo)

In conventu Pastorum, inclyti Ducatus Saxo-Gotani,  
*placida oratione exposita a*

SALOMONE GLASSIO, D.  
& SUPERINTENDENTE,

RESPONDENTE

NICOLA O ELIA DIETZ,  
Pastore Tondorffensi, & Dioceseos Gotanæ Adjuncto.

D. 17. Julii . horis à 7. matutinis,  
Anno M. DC. L.

GOTÆ

TYPIS REYHERIANIS  
Excusa à Johanne Michaële Schallio.

*Handwritten blue ink scribble, possibly "Z. M. A."*

*Handwritten "a. v."*











בִּיהוּה כְּחִי

ARTICULUS SEXTUS (UT ET VIGESIMUS) AUGUST. CONFESSIO, NIS,

# DE BONIS OPERIBUS.

THESIS I.



Doctrina de fide justificante, & ministerio Verbi ac Sacramentorum (quæ salutis media divinitus constituta sunt, hoc quidem ex parte DEI; illud verò hominum) rectè subjicitur articulus de bonis operibus, seu de renovatione, & obedientia renatorum nova, non externas solum in sensu incurrentes actiones laudabiles, sed & internos

affectus cordis, & voluntatis motus bonos, complectente, adeoque de habituali & actuali credentium justitia, seu de conscientie bonæ studio (id omne enim bonorum operum vocabulo in Scholis Theologicis intelligitur) quæ fidem naturam suam, ut fructus bonus arborem bonam, ut splendor & lumen Solem, ut calor ignem, ut respiratio vitam; & in genere loquendo, ut effectus causam, & ut emanans propriam specificam suam formam, sequuntur.

II. Eloquitur autem Confessio nostra hanc doctrinam his verbis: Item docent (Ecclesie nostræ) quod fides illa debeat bonos fructus confessionis parere, & quod oporteat bona opera, mandata à DEO, facere, propter voluntatem DEI, non ut confidamus per ea opera justificationem coram DEO mereri. Nam remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi; Cum fecerit hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus. Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est à DEO, ut

Yy 2

qvz



qui credit in Christum, saluus fit, sine opere, solâ fide, grati accipiens remissionem peccatorum.

*Ap. i. v. 17.*

III. Quatuor hic membra de bonis operibus extant. 1. *Causa efficiens proxima*, quæ fides in Christum est, quâ sola coram DEO justificamur & salvamur, ut articulo præcedente quarto de eâ actum. 2. *Modus*, necessitas nimirum, cum primis dependentiæ à fide: *Docent*, inquit Confessio, quod fides illa DEBEAT bonos fructus parere, & quod OPORTEAT bona opera facere. 3. *Forma generalis interna*, quæ *ἐννομία* est, congruentia cum lege divina: *Bona opera* (ait) *MANDATA à DEO* (nimir. in verbo legis moralis revelato) *facere*. 4. *Fini*, qui *καὶ θεοῦ ἰσχυρῶς ἀρεῶν* exprimitur. Ille verbis: *Propter voluntatem DEI*, seu, ut debitam DEO obedientiam juxta mandata ejus præstemus. Hic sequentibus: *Non ut confidamus per ea opera justificationem coram DEO mereri.*

IV. Hoc postremum autem, in quo maximum contra adversarios Papicolas momentum situm est, probatur tripliciter. *Primum* fit argumentum à contrario: *Nam remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur.* Vult dicere: Ergò non operibus, quia hæc in Scripturis sacris, in articulo justificationis nostræ coram DEO (& salutis æternæ, in cælo justificatis gratuitò expectandæ) ratione efficientiæ seu causalitatis, fidei semper opponuntur, & in divino hoc opere augustissimo longum abesse jubentur. *Secundò* argumentatio instituitur ex dicto Christi *LUC. 17. Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus.* Quo efficacia & vis operum, etiam perfectorum, si qua essent, quod tamen in fragili hoc ævo impossibile, ut in negotio salutis æternæ *ἀχρηστία*, *inutilium*, planissimè excluditur & removetur. *Tertiò* ex veteribus scriptoribus Ecclesiasticis Ambrosius allegatur: *Hoc constitutum est à DEO, &c.*

V. Nos *καὶ πῶτα* Confessores augustos in Augustâ sequemur, (nisi quòd secundum membrum, de *necessitate bonorum operum*, eò quòd cætera, solidioris explicationis causâ, prærequirat, nobis erit ultimum,) & quæ delineata jam sunt, uberius exprimere, in nomine Paracleti sanctissimi, annitemur.

SE-



SECTIO I.  
De Causa efficiente bonorum  
operum.

VI. Fidem bonos fructus parere, Confessores affirmant. Hæc propositio alias causas efficientes non excludit, sed certò infert & præsupponit. Progrediemur ordine.

VII. I. EFFICIENS PRINCIPALIS est DEUS Opt. Max. Et omnibus quidem personis in divinitate, indivisè opus hoc (utpote καὶ ἕξω) tribuendum. De DEO Patre enim dicit Apostolus Hebr. 13, 20, 21. quòd perficiat (credentes) in omni opere bono, ad faciendum voluntatem ejus. efficiens in eis, quòd acceptum sit sibi. De Filio DEI, quòd per fidem in cordibus (credentium) habitet, Eph. 3, 17. & in illis vivat (atque ita vitæ spiritualis motus etiam & actiones efficiat,) Gal. 2, 20. quòd eos sibi inferat, ut palmites vitæ, ut in bonis operibus sint frugiferi, Joh. 15, 4, 5. & liberos eos vere reddat, nimir. à peccati servitute, ad liberè DEO obediendum, Joh. 8, 34, 36. Unde etiam credentibus non sapientia solùm, justitia & redemptio, sed & sanctificatio à DEO factus esse dicitur I. Cor. 1, 30.

II. Interim tamen peculiariter Spiritui Sancto, tertiæ SS. Spiritus S. Trinitatis personæ, uti sanctificationis opus, ita & bonorum operum efficientia, in sacris literis, & Symbolo Apostolico, per quandam appropriationem tribuitur. De hoc in art. 20. (qui hujus sexti ἐξουσιῶς est.) Quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & indaunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis genitrix est. Nam humana vires, sine Spiritu Sancto, plene sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quàm ut bona opera possint efficere coram DEO. Adhuc, sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honestè vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide, & sine Spiritu sancto, & tantùm humani viribus se gubernat.

Yy 3

II. Ve.



IX. Veniamus autem ad Scripturarum vocem audiendam. Psal. 51, 13. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, petit à DEO David, ad ipsum vera resipiscentiâ ex lapsu suo reversus. Quo fine autem petit? ut in via pietatis porrò ducatur, ut ex v. 14. patet: Et Spiritus promptus fulciat me, h. e. faciat me promptum alacremq; ad obediendum tibi. Sic & Psalm. 143, 10. Spiritus tuus bonus ducat me in terra planâ. Ezech. 36, 27. Spiritum meum (inquit DEUS) dabo in medio vestri, efficiamq; ut in statutis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & faciatis. Roman. 8, 13. Si Spiritus (Spiritus S. ductu & impulsu) facta corporis mortificetis, viveris. v. 14. Etenim quicumq; Spiritu DEI ducuntur, (in via mandatorum DEI,) hi sunt filii DEI. Gal. 5, 18. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. At quomodo Spiritus DEI ducit? Ad vitandum opera carnis, h. e. peccata mortalia, quæ v. 19--22. enarrantur; & contrà ad faciendum bona opera, uti v. 22. sequitur: Fructus Spiritus (sancti, in credentibus habitantis ac gratiose operantis) est, caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, fides, mansuetudo, temperantia.

X. Tit. 3. hortatur credentes Paulus v. 1. ut ad omne opus bonum sint parati. Statum etiam pristinum ante conversionem suam ob oculos statuit, v. 3. Eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, servientes desideriis ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, invicem odio prosequentes. Mox conversionis, & salvationis gratuita beneficium, sine ullis operum meritis, enarrat, v. 4, 5. regenerationi (justificationi, unum enim & idè hæc reipsâ sunt) renovationem SPIRITUS SANCTI proxime adjungens, v. 6. quem (inquit) effudit (DEUS) in nos opulente per Christum. Atque hujus subjicit ἐπέγνωσα, v. 8. Fidelis sermo: & de hiis volo ut confirmes (fideles, seu conversos ad Christum,) quæ solliciti sint, ut bonis operibus præsent, qui crediderunt DEO &c. Atque inde bonis operibus studiosè vacantes nominantur spirituales, Rom. 8, 5. Gal. 6, 1.

Organa  
Spiritus S.

XI. Operatur autem hæc Spiritus sanctus non ἀπερώς, sed per media à se ordinata, quæ sunt verbum Legis & Evangelii, in Scripturis S. revelatum, 2. Tim. 3, 16, 17. duo item Sacramenta, Baptismus & Cœna Dominica.

XII. Ver-



XII. Verbo legalis utitur, *tum* in cordibus hominum con-  
terendis, ut agnoscentes operum quorumcunque insufficientiam,  
ad consistendum iis in DEI iudicio, & de meritis propriis despe-  
rantes (ob peccatorum multitudinem & atrocitatem, quibus ob-  
noxii) ad solam DEI gratiam & misericordiae viscera, salutis obti-  
nendae causam, accurrant suspirentque; *tum* in constituenda nor-  
ma, ad quam solam omnia opera bona redigenda, & ultra quam  
citraq; nequit consistere rectum; haec enim doctrina legis divi-  
nae moralis est, Deut. 4, 2. Matth. 5, 17, 18, 19. cap. 22, 37-40.  
Rom. 13, 8, 9, 10. &c.

XIII. Verbo Evangelico utitur, in accendenda conservan-  
daque fide, bonorum operum genitrice atque altrice, Gal. 3, 2, 5.  
in impellendo (impulsu sane amabili) ad fervidè ambulandum in  
via Domini, Jerem. 31, 33. intuitu beneficiorum Messiae, quae in  
redemptionis opere immenso nobis exhibuit, Tit. 2, 14.

XIV. Baptismo utitur, tum ad *regenerationem* (quae fidei  
productionem, & per eam gratuitam justificationem complecti-  
tur, principium illud bonorum operum,) tum ad *renovationem*,  
Tit. 3, 5. h. e. naturae peccato infectae, & non nisi ad peccandum  
prona, contumacisque ad obediendum DEO, sanationem ac re-  
dintegrationem, ut spontaneo motu DEO servire, & mandatis  
ejus (licet imperfectè id in hac vita fiat) obsequi homo possit. Un-  
de *stipulatio bonae conscientiae erga DEUM* Baptismus dicitur, 1. Pet. 3,  
v. 21. Et *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus* (mysticum,  
cujus vinculum & nervus charitas est, operum bonorum praeci-  
puum, Eph. 4, 16. Col. 3, 14.) *baptizati* dicimur 1. Cor. 12, 13.

XV. Coena Dominica sacra utitur, ad conferendas imbe-  
cillis in fide & vita Christiana vires, & ad spiritualem confortatio-  
nem in cursu pietatis. Quod referre nos quondam verba Zacha-  
riae emphatica, c. 9, 17. meminimus: *Quodnam bonum ejus* (po-  
puli DEI,) *& quae venustas ejus? Frumentum juvenum, & mustum,*  
*quod producit virgines.* Vide Post. Proph. part. 1. p. 263. seqq. Et lo-  
co paulò antè citato dicit Paulus: *Omnes in unum Spiritum potatè*  
*sumus, nimir. ut invicem bonis operibus certantes templa unius*  
*Spiritus sancti sumus & maneamus, neve sanctissimum illum ho-*  
*spi-*



Renati  
sunt bona  
opera cau-  
sa proxi-  
ma.

ipitem & incolam, impiis operibus contristens, Ephes. 4. v. 30.  
XVI. II. EFFICIENS MINUS PRINCIPALIS, & se-  
cundaria, (*αἰτιὸν οὐκ ἐξουσίαν* alii vocant) est ipse credens homo;  
(Notetur, respectu alio, quia nim. donum sanctificationis & ha-  
bitus virtutum, in homine credente Spiritus sanctus excitat, adeo-  
que idoneum ad bene operandum facit, *subjecti* quoque notio-  
nem ipsum obtinere,) quem communi appellatione *renatum*  
vocitare solemus, non respectu habito ad id solum DEI opus,  
quod in Baptismo factum, cum permulti in Ecclesia gratia illa  
DEI, quam inibi adepti, spontaneo discessu pravo, per errores  
contra fundamentum fidei pugnantes, pertinaciter defensos, &  
peccata mortalia, excidant, atque sic renati esse desinant; sed ad  
presentem statum, in quo homo vivit, *novae creaturae in CHRISTO*  
*factus*, 2. Cor. 5, 17. *qui, si credit, JESUM esse Christum, & diligit*  
*filios DEI, & mandata eius servat, & mundum vincit* (mundanas  
cupiditates abnegat & odit) *ex DEO natus seu renatus* recte à Jo-  
hanne vocatur, 1. Epist. 5, 1-4.

XVII. Atque inde est, quod Petrus, initio & fine primi, prio-  
ris Epistolae, capitis, renascentiam credentium divinam, per ver-  
bum DEI, summoperè praedicans, v. 3, 23. in medio descriptio-  
nem talium, quibus id beneficii obtigit, à bonorum operum  
studio, tanquam effectu ac *καύνησιν* certo, arcessit, ita loquens,  
v. 13. *Quapropter succincti lumbis mentis vestrae* (ex verbis Christi  
Luc. 12, 35. haec desumpta; notatur autem vigilantia, fervor &  
zelus in desiderio bonorum caelestium, & cursu pietatis,) *sobrii,*  
*perfectè sperate in eam, quae ad vos defertur, gratiam, per revelationem*  
*JESU Christi.* v. 14. *Tanquam filii (à DEO renati) obedientes, ut*  
*non accommodetis vos pristinis, quae in ignorantia vestra (fuerunt)*  
*concupiscentiis.* v. 15. *Sed, quemadmodum is, qui vocavit vos, san-*  
*ctus est, ita ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.* v. 17.  
*Cum timore (filiali) incolatus vestri tempore conversemini.* v. 22.  
*Animas vestras purificate in obedientia veritati, per Spiritum, cum*  
*charitate fraterna, ab omni simulatione aliena, ex puro corde vos*  
*invicem diligite intense.* Jam sequitur principium horum inter-  
num, de quo paulò antè: v. 23. *Renati non ex semine mortali, sed*



immortali, per verbum vivum DEI, & mansens in aeternum Con-  
fer 1. Joh. 3, 9. cap. 5, 18.

XIIX. Iidem credentes sive renati describuntur, (ut ex in-  
numeris pauca adducamus) quod sint ad omne opus bonum ἡτοι-  
μασμένοι, preparati, 2. Tim. 2, 21. & ἐξηγησμένοι, instructi, c. 3.  
v. 17. & ἄσπιλοι, parati, Tit. 3, 1. κληθέντες, creati in Christo (h. e.  
regenerati & renovati per fidem) ad opera bona, Eph. 2, 10. ple-  
ni operibus bonis, Actor. 9, 36. Jac. 3, 17. ζηλωταί, fervidi secta-  
tores honorum operum, Tit. 2, 14. divites operibus bonis, 1. Tim. 6.  
v. 18. sinceri & inoffensi, impleti fructibus justitiae, Phil. 1, 10, 11.

XIX. Dicuntur iidem facere voluntatem DEI ex animo,  
Eph. 6, 6. καλῶν ἔργων προεξαιδασαί, bonis operibus praesse, Tit. 3.  
v. 8. καρποφορεῖν, fructificare in omni opere bono, Col. 1, 10. πε-  
ρυσσάσκειν, exuberare in omne opus bonum, 2. Cor. 9, 8. prabere  
membra sua arma justitiae DEO, Rom. 6, 13. timere DEUM, &  
operari justitiam, Actor. 10, 35. sistere membra sua serva justitiam in  
sanctificationem, Rom. 6, 19. servire DEO in sanctitate & justitia,  
Luc. 1, 75. perficere sanctificationem cum timore DEI, 2. Cor. 7, 1.  
bonā conscientiam DEO servire, Actor. 23, 1. stabilire cor irrepres-  
hensibile in sanctitate coram DEO, 1. Thess. 3, 13. per gratiam ita  
colere DEUM, ut illi placeant cum reverentia & religione, Heb. 12.  
v. 28. Et in V. T. ambulare cum DEO, Gen. 5, 22, 24. ambula-  
re in viis Domini, Deut. 8, 6. declinare à malo, & facere bonum,  
Psal. 34, 15. diligere DEUM, & custodire mandata ejus, Exod. 20.  
v. 6. ambulare in integritate, Psal. 26, 12. facere justitiam, Deu-  
ter. 27, 10.

XX. Item, custodire mandata DEI, & sequi eum toto cor-  
de, ad faciendum, quod placitum est coram ipso, quod de Davide  
dicitur, 1. Reg. 14, 8. facere rectum in oculis Domini, & non de-  
clinare ab omnibus, quae praecepit ipse, de eodem, cap. 15, 5. Quae  
& similes locutiones, 2. Reg. 18, 6. cap. 23, 3, 25. 2. Paralip. 15.  
v. 12, 15, 17. Luc. 1, 6. &c. non denotant absolutam & omnimo-  
dam obedientiam fidelium, secundum ἀνεπίβουρα divinae legis per-  
fectionem, ut Pontificii volunt; sed sinceritatem ejus ἀνυπόκρι-  
τον, oppositam hypocrisis & externae simulationi.

Z I.

XXI. Re-



**XXI.** Renati igitur, seu verè credentes, bonorum operum causa efficiens, uti dictum, secundaria (& propinqua) sunt, ut & Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 2. *Intelligent (inquit) si filii DEI sunt, Spiritu DEI se agi, ut, quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et, quoad rem, idem hoc est cum eo, quod Confessio dicit, *fidem parere bonos fructus.* Credentes sunt *principium quod;* fides ipsa (à qua fideles dicuntur) est *principium quo,* ut in Scholis loquuntur. Est *ἐξυάντις ἀγαθῶν, ἢ δικαιοπραγίας, θεμελίον,* ut Clemens Alexandrinus eam appellat.

*Facultates  
anima.*

**XXII.** Quò spectat, quòd idem hoc quidam ita efferunt, quòd voluntas humana, causa sit bonorum operum, quemadmodum & intellectus hominis huc referendus, quæ duæ animæ rationalis facultates principesunt. Verùm non ex viribus naturalibus hinc quicquam fieri somniandum, sed intelligendum illud, quatenus intellectus à Spiritu S. luce verbi divini collustratus, quæ sit bona DEI voluntas, cognoscit & approbat; voluntas verò renovata, vivificata, & mota à Spiritu sancto, id, quod bonum ab intellectu cognitum est, eligit, appetit & exequitur. Unde utrique in Scriptura sacræ bonarum actionum efficientia tribuitur.

*Intellectus.*

**XXIII. DE INTELLECTU** Prov. 1, 2. *Ad cognoscendū sapientiā & disciplinam, ad intelligendum verba intelligentiæ.* v. 3. *Ad accipiendum disciplinam scientia, justitiam & iudicium & rectitudines.* v. 4. *Ad dandum simplicibus astutiam, pueroscientiam & solertiam.* v. 5. *Audit sapiens, & addit doctrinam. & prudens consilia industria possidet.* v. 6. *Ad sciendum parabolam & interpretationem, verba sapientiæ, & anigmata eorum.* Hæc à Rege sapientissimo sapienter informationi in studio pietatis honestatisq; civilis (in civitate DEI) præmittuntur.

**XXIV.** Rom. 7, 16. *Consentio legi (de quâ scio) quòd bona sit.* cap. 8, 5. *Qui spirituales sunt, quæ spiritus sunt, φεγῶσι, sapiunt.* c. 12, 1. *exhibere corpora in hostiam viventem, sanctam, acceptam DEO, dicitur λογική λατρεία, rationalis cultus, h. e. istiusmodi, qui ex mente, per Spiritus divini gratiam illustrata, procedit.* v. 2.

*Eis*



Eis τὸ δοκιμάζειν, ut probetis (ex verbo DEI cognito,) qua sit vo-  
luntas DEI bona & accepta & perfecta. Phil. 1, 10. Ut probetis,  
qua sunt praestantia. cap 4, 8. Quaecunq; sunt vera, quaecunq; ho-  
nesta, quaecunq; iusta, quaecunq; pura, quaecunq; amabilia quaecun-  
que bone fame; si qua virtus, si qua laus, τὸ ἄλλο λογίζεσθε, hac co-  
gitate. Col. 1, 9. Ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni  
sapientia & prudentia spirituali. c. 3. postquam mortificationem  
veteris hominis, & vivificationem novi, multis verbis egregie  
expofuisset, principium hujus Ἀγωνικὸν subjungit, v. 16. Sermo  
Christi inhabitet in vobis abundanter cum omni sapientia, docen-  
tes & commonentes vos invicem, &c. Postea in pietatis cursu ex-  
plicando, hoc & sequenti capite, pergit.

XXV. DE VOLUNTATE Ps. 51, 14. *רוח נדבתיך* Spiritus prom-  
tus fulciat me. Ps. 54, 8. In promptitudine (voluntatis renovatae)  
sacrificabo tibi, laudabo nomen tuum, Domine, quia bonum.  
Psal. 110, 3. Populus tuus spontaneus in die virtutis tuae &c.  
Actor. 11, 23 Barnabas hortatus fuisse dicitur Antiochenos fi-  
deles, ut τῇ προθέσει τῆς καρδίας, proposito cordis perseverarent,  
adherere Domino, nim. fide, per charitatem & patientiam ope-  
rosâ, cap. 14, 22. Rom. 7. v. 18. Τὸ θελεῖν ἔργευσάι μοι, velle  
(bonum facere) adest mihi. v. 21. Reperio legem, volenti mihi fa-  
cere bonum, quod mihi malum adjunctum est. v. 22. Delector lege  
DEI secundum internum hominem. 2. Cor. 8, 11. Quemadmo-  
dum voluntas prompta fuit, ita & perficiatis ex eo, quod potestis.  
v. 12. Etenim si prius adsit προθυμία, animi promptitudo &c. Phi-  
lem. v. 14. Ne velut ex necessitate bonum tuum (opus) esset, sed  
spontaneum.

XXVI. Utrumque conjungitur Psal. 1, 1. Beatus vir, qui  
non ambulat in consilio impiorum &c. (hæc voluntatis sunt:) v. 2.  
Sed in lege Domini voluptas ejus, & in lege ejus meditatur die &  
nocte (nim. ut ex ea discat DEI voluntatem, secundum quam vi-  
tam instituat suam, quod ad intellectum pertinet.) Huc referen-  
dus integer Psalmus 119. Alphabetico ordine conscriptus, in  
quo omnia, quæ ad fidem & pietatem spectant, planissime, & pul-  
cerrimo verborum variantium σωμαθροισμῶ, exposita habentur.



**XXVII.** Rom. 6, 17. *Fuistis servi peccati, sed obedistis ex animo* (hoc voluntatis est) *in eam, in quam traducti estis, formam doctrinae* (hoc ad intellectum, qui voluntatem DEI ex verbo revelato cognoscit & discit, spectat.) Eph. 4. Postquam de gentibus ἐξ ἰστανίῃ eadem duo conjunxisset, v. 18. Ἐσκολισμένοι τῇ ἀνομίᾳ, *rationem habentes obtenebratam, ab alienati a vita DEI, propter ignorantiam, qua est in illis, & excacationem cordis eorum,* (hæc intellectum attinent.) v. 19. *Qui ἀπηλθύνοντες, postquam quam dolere desierunt* (in conscientia,) *semetipsos dederunt* (sponte & voluntate promptissima) *lascivia, ad patranda immunditiam omnem, in aviditate:* de Christianis veris statim subjicit, v. 20. *Vos autem non sic didicistis Christum.* v. 21. *Si quidem illum audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est veritas in JESU,* (hæc ad intellectum, luce verbi illustratum pertinent: Quid autem lux illa cognitionis complectitur, cui voluntas restaurata se attemperare studet?) v. 22. *Deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem &c.* v. 23. *renovari vero spiritu mentis vestra,* v. 24. *& inducere novum hominem &c.* Cui deinceps bonarum actionum, ad secundam Decalogi tabulam spectans, recensio subjungitur, v. 25-32.

*ἀποστολῆς.  
Distinctio  
de regenera-  
tione &  
renovatio-  
ne loquen-  
sum.*

**XXIX.** Ex his, quæ dicta sunt, duo deducimus *πρόσμα-  
τα.* I. Longè aliter de regeneratione seu justificatione hominis peccatoris coram DEO, quàm de renovatione ejus, sentiendum & loquendum esse. Etsi enim utrumq; DEI beneficium est, tamen distinctissima utriusq; ratio. In illa DEUS agit sic, ut in homine nil quicquam sit, quod justificationem vel mereri, vel ei cooperari ullo modo possit, ut in præcedentibus dissertat. demonstratum. In hac verò DEUS (seu Spiritus sanctus) agit per hominem, vel, quod idem est, homo operatur bonum, divini Spiritus gratia & adjutorio, ut antè declaratum.

**XXIX.** Ex quo etiam patet, cur justificatio seu regeneratio hominis perfecta sit, renovatio autem imperfecta, ipsumq; bonorum operum studium, inde pullulans, peccatorum labe fœdatum? Quia nimir. in illa justitia merito Christi parta, quæ omnium perfectissima est, homini per fidem appropriatur, quæ  
ja-



justitiā (& non tali, quæ formaliter homini inhæret) homo justus coram DEO est. In hac verò fides se exerit per opera DEO grata, quæ ab inhærente firmiter renatis peccato (Heb. 12, 1.) non possunt non commaculari, & imperfectiora longè fieri, quàm ut rigidum DEI justissimi examen sustinere, & ob ea justus coram ipso pronunciari homo possit; unde & perpetuum hac in vita cum peccatrice carne, seu homine veteri, certamen renatis ineundum & gerendum est, Rom. 6, 12. c. 7, 14. seqq. 1. Cor. 5. v. 7. 2. Cor. 7, 1. Gal. 5, 17, 24. Heb. 12, 1. 1. Pet. 2. v. 11, 12. 1. Joh. 1, 4, &c.

XXX. Patet etiam ex antè dictis falsitas argumentationis Pontificiæ: Quia proficiscuntur bona opera à Spiritu sancto, ideo esse meritoria vitæ æternæ. Quod Costerus in Enchirid. L. de meritis bon. op. p. 277. ita effert: *Per gratiam inhabitat Spiritus S. in homine, perficit illa opera, quæ merentur æternam gloriam. 1. Joh. 4, 16. Rom. 8, 26, 14. Sicut igitur, si rusticus quispiam characteres formans manu Regis scribendo moveretur, scriptura illa, quæ ex parte à rustico conficitur, nullius est ponderis; sed quia Rex scriptoris manum in scribendo & delineando conformavit, magnam habet dignitatem: Ita opera nostra propter Christum, qui nobis, ceu membris utitur, & Spiritum S. inhabitantem, & per nos operantem, digna sunt cælesti premio.*

Argumentatio Pontificiæ

XXXI. Non valet, inquam, consequentia, (1.) Quia non Spiritus sanctus solus, sed in & cum homine, ut causa proxima, autor est bonorum operum; adeoq; opera sunt quidem in DEO (instinctu, ope & auxilio DEI, ut causæ principalis & remotæ,) facta, Johan. 3, 21. attamen humana (ratione causæ proximæ) sunt, & sic imperfecti & labi peccatorum obnoxia, quod meriti, quod perfectum in DEI judicio esse oportet, respectum omnem evidenter excludit. (2.) Quia, dato, non autem concessio, dari opera, sine peccatorum fecibus, perfecta, ab homine præstita, tamen nec hac ratione meritoria (proprie loquendo) dici ea possint, cum ad meriti ejusmodi rationem, ut indebitum opus sit, requiratur, quod nec de obedientia primorum hominum, in statu innocentiae ne dum ullius hominis in statu perditionis, dici potest, Christo docente Luc. 17, 10.





Ad Costeri  
simile re-  
sponsum.

XXXII. (3.) Ad simile à Costero adductum, respondeamus;  
1. Magnam à re præfenti inesse ei disparitatem; neq; enim hoc  
casu, qui fingitur, rusticus in se quicquam facit, sed manum so-  
lùm Regi scribenti accommodat, & merè passivè se habet; so-  
lus autem Rex scriptionis causa est. Hic autem, (uti dictum)  
Spiritus S. ita est bonarum actionum causa, ut simul etiam *crea-*  
*tor* homo renatus se habeat, sintq; actiones humanæ, quarum  
primus motor inhabitans Spiritus DEI est. 2. Invertimus simi-  
le in hunc modum. Quemadmodum rusticus præmentis hebetu-  
dine, & imperitia literarũ, nihil ex se scripturæ ad legendum prom-  
tæ expedire valet: Sic homo corruptus & irreginitus, suis ex na-  
turæ viribus, nihil, quod DEO gratum sit, nedum gratiæ DEI  
meritorium, efficere potest, & sic *meritum*, quod vocant, congrui,  
in nihilum abit. Quemadmodum rusticus, manu à Rege in scri-  
bendo directus, nihil mereri hoc ipso dicendus est, sed insoli-  
dum laus dignationis & clementiæ Regi attribuenda: Ita homi-  
nes renati, à Spiritu S. in bene agendo moti, nil quicquam, ne-  
dum vitam æternam, promerentur, Sed SOLI DEO GLORIA &  
laus misericordiæ hinc vendicanda; atq; sic *meritum condigni* et-  
iam labascit. Sed transeat Corydon *χαμυατὸς* cum suo in hac  
scena actore.

Irreginitis  
verè bona  
opera non  
faciunt.

XXXIII. 2. Quia à solis renatis bona opera fiunt: Ergò qui  
renati non sunt, sed vel infideles extra Ecclesiæ pomeria versan-  
tur; vel in Ecclesia, à Satana excæcati induratiq; oberrant, in pec-  
catis mortalibus sine resipiscencia hærentes, (quos *mortuos in de-*  
*lictis & peccatis* Scriptura appellat, Ephes. 2, 1. Col. 2, 13.) hi, in-  
quam, utut quæ externæ disciplinæ sunt, præstare quodammodo  
possint, Roman. 2, 14. tamen, ut spiritualis vita illis nulla est, sic  
nec ulla operatio spiritualis, & sic nullum verè bonum opus ab  
illis (quatenus tales sunt manentq;) proficisci potest. *Sine fide*  
*impossibile est* (DEO) placere, inquit Apostolus Hebr. 11, 6. At  
in irreginitis fides non est (infideles quippe sunt, vel fide histo-  
ricâ solùm præditi, quæ & ipsa fides salvifica non est, sed reapse  
infidelitas;) igitur nec DEO placere queunt, & per consequens  
nec bonum opus DEO gratum (*Adoniam* illa speciali, quæ in Chri-  
sto mediatore fundata) efficere. XXXIV.



XXXIV. In parallelo artic. 20. A. C. hæc in fine extant: *Sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat DEUM, à DEO nihil expectat, non tolerat crucem, sed querit humana præsidia, confidit humanis præsiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga DEUM. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Joh. 15. Et Ecclesia canit: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.*

XXXV. Pertinet huc allata à quibusdam regula: *Bona opera non ex nominibus, sed ex adverbis judicanda sunt; cuius sensus est: Si quis bonum opus (V. C. precationem, DEI laudem, eleemosynam &c.) facit, sed tamen non bene (h. e. secundum præscriptum divini verbi, & ex vera fide in Christum, in solius DEI gloriam) facit, non esse dicendum bonum opus, illo videlicet significato, quo in Theologia ex sacris literis boni operis vox accipitur. Sic impii oratio peccatum dicitur, Psal. 109, 7. & abominatio, Prov. 28, 9. quæ haudquaquam exauditur à DEO, sed respuitur, Esa. 59, 2. Johan. 9, 31. Et quicquid non ex fide est, peccatum esse, Paulus adstruit Rom. 14, 23. Ubi quidem per fidem proximè conscientie hominis firma persuasio notatur, ut connexio docet; at cum ea præsupponat fidem ipsam, quæ illam & informat, & certam de actionibus DEO gratis reddit, igitur non absone de fide etiam ipsa intelligi potest.*

XXXVI. Hoc igitur ex principio fluunt graves illæ ad- *Hypocritæ*  
versus hypocritas impios *Ammonia* in prophetis, Psal. 50, 16, sequentibus. Esa. 1, 10, seqq. c. 66, 3. Jer. 6, 20. c. 7, 3. seq. c. 14, 12. Amos 5, 21, 22, 23. Zach. 7, 5, 6. (Confer c. 8. 16-19.) quarum summa est, frustra cultui divino exteriori ipsos vacare (quod in se bonum opus haberi possit, utpote ad normam secundi & tertii præcepti in Decalogo factum) cum fide, & timore DEI filiali, intrinsecus careant. Attendantur etiam verba Christi Matth. 6, 1, 2, 5, 16. c. 7, 21, 22, 23. &c.

XXXVII. Eodem ex principio corrumpitur insolidum (1.) eorum error, qui gentilibus, justè & honestè, secundum ductum legis naturæ, viventibus, (quo respectu generalem præsentiam

*De gentilibus  
lium operibus  
bonis.*

& o;



et operationem Dei iis non denegamus) verè bona & DEI  
placencia opera ac virtutes adscribere, (quin & salutem æternam  
adjudicare) in magnum Christianæ religionis præjudicium &  
dedecus, non verecundati sunt: Inter quos Theobaldus Tam-  
metus, Mindæ concionator, Latomus Lovaniensis, Andradius  
Payva, defensor Trident. Concilii, & alii. Contra in Jure Ca-  
nonico, c. cum Paulus, caus. 1. q. 1. *Ubi Christus non est fun-  
damentum, nullius boni operis est super edificium.* c. omnes  
causæ, caus. 28. q. 1. *Omnis vita infidelium peccatum est, nec  
valet esse bonum, quod sit absq; DEO. Ubi enim deest agnitio eter-  
ne & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis  
moribus.* c. ubi, caus. 24. q. 1. *Ubi sana fides non est, non potest  
esse justitia.*

XXXIIX. August. lib. 5. de C. D. c. 19. *Illud constet inter  
omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri DEI  
vero cultu, veram posse habere virtutem.* Bernhardus serm. 22.  
in Cant. Canticorum: *Incassum quis laborat in acquisitione vir-  
tutum, si aliunde eas sperandas putet, quam à Domino virtutum.*  
Item: *Quid vobis Philosophis cum virtutibus, qui Christum DEI  
virtutem ignoratis?* Idem in tract. de amore DEI cap. 8. col. 1569.  
*Convincuntur Philosophi justitiam non amasse, quia non ama-  
verunt te, (ô DEUS) à quo fons & origo, & in quem finis & re-  
cursus, vera justitia, & sine quo omnes justitia hominum sunt  
pannus menstruata. Non enim habebant fidem, qua per dilectionem  
operatur, licet affectatum quendam amorem, & quiddam habe-  
rent honestatis, qua quia ex fonte vera justitia non prodibant,  
non in vera justitia finem ibant, tanto desperatius errabant, quan-  
tò fortius extra viam currebant, via enim Christus, qui dixit:  
Ego sum via, veritas, & vita. Idem serm. 4. in ascens. Quicquid  
sine fide præsumitur, nulla est animi solida virtus, sed ventosa  
quedam inflatio, & tumor inanis, De quo plura videantur in  
D. D. Gerhardi Conf. Cath. tom. 2. ubi de officio Christi me-  
diatorio agit, pag. 482. seqq. Et tom. 4. de operibus non rena-  
torum, pag. 513, seqq.*

*Adritum  
congrui.*

XXXIX. (2.) Scholasticorum & Pontificiorum opinio fal-  
la



fa. De merito congrui, seu operibus ante conversionem, ex li-  
beri arbitrii viribus factis, quæ justificationis primæ donum ex  
semereri somniant. Vide Bellar. lib. 2. de pœnit. c. 12. &c. Sed  
de hoc alibi tractatur latius. Confer, si placet, dissert. 8. de for-  
mali justif. causa, § 2. seq. Optimè de utroq; recensito errore  
Apol. A. C. pag. 64. *Quamquam justitiæ rationis (quam ratio  
suis viribus efficit, & ad quam conservandam dedit DEUS leges,  
litteras, doctrinam, magistratus, pœnas, ut paulò antè loquitur)  
libenter tribuimus suas laudes; nullum enim majus bonum habet  
hæc natura corrupta: Et rectè inquit Aristoteles, neq; Hesperum,  
neq; Luciferum formosiores esse justitia: Ac Deus etiam ornat  
eam corporalibus premiis; tamen non debet cum contumelia Chri-  
sti laudari.*

XL. Summa: *Bona opera sequuntur justificatum, non præ-  
cedunt justificandum, quod theorema Augustini est, lib. de fide  
& operibus, c. 14. Cujus etiam hæc sunt in præfat. Psal. 31. Debe-  
mus nulla opera præponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam di-  
catur bene operatus. Ea opera, quæ dicuntur ante fidem, quam-  
vis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi viden-  
tur esse, ut magna vires & cursus celerrimus præter viam, &c. Bo-  
num opus intentio facit, intentionem finis dirigit. Non valdè at-  
tendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, adspiciat, quò la-  
certos optime gubernationis dirigat.*

## SECTIO II.

### De bonorum operum forma.

XLI. Bona opera *mandata à DEO esse, Confessio Aug.  
docet, hoc ipso formam eorum exprimens intrinsecam & inse-  
parabilem. Sicuti enim peccatum in genere acceptum, est *ἀνομία*,  
*diffinitas à lege (DEI)* 1. Joh. 3, 4. Ita, quod peccato opponi-  
tur, bonus nim. habitus & actus, est *ἐνομία*, *conformitas cum  
lege (DEI)*, seu, quòd à DEO in lege morali præceptus est. No-  
tandum autem, *generalem* hanc suprâ §. 3. vocatam fuisse formam,*

Aaa

pro-



*Specialis  
forma bonorum  
operum, fides.*

propterea quod in operibus etiam hypocritarum externis, quin & virtutibus saniorum gentilium quoadtenus reperiatur, Rom. 2. v. 14, 15. *Specialis* igitur forma, quæ verè bona & Deo placenta renatorum opera constituit, eaque velut singulariter animat, concitat, dirigit, & ab aliis quibuscunq; distingvit, quanam sit, si quærat? Responsio in promptu est, quod *fides* sit.

XLII. Ne verò paradoxon hoc cuiquam videatur, eò quod fides bonorum operum efficiens (quæ rei forma non est) fuerit suprâ appellata, de tota re ita habendum. Quæcunq; ab hominibus (post lapsum primorum parentum) bona fiunt, non sunt perfectè bona & pura, qualia videlicet lex DEI (quæ *spiritualis* est, Roman. 7, 14. exactissimam sine omni peccati immundicie postulans obedientiam) requirit, sed adhæret iis tum imperfectio, tum peccatum, Gen. 6, 5. c. 8, 21. 1. Reg. 8, 46. Job. 14, 4. c. 15. v. 14. Psal. 14, 1, 2, 3. Sirac. 27, 5. Matth. 15, 19, 20. Jac. 3, 2. &c. unde nec in iudicio DEI consistere, nec DEO (*cujus oculi puriores sunt, quam ut videat malum*, Habac. 1, 13.) placere possunt, ita ut præmiis illa in cœlis afficiat; *non enim intrat* (in Hierusalem cœlestem) *aliquid, quod inquinat, aut abominationem facit, & mendacium*, Apoc. 21, 27.

XLIII. Carent igitur speciali hac gratia & complacentiâ DEI omnes, qui irrogeniti sunt, quantumvis bona quædam (quoad bonitatem actionum intrinsecam, quam diximus) faciant, multis quippe modis ab inhabitante peccato illa sunt inquinata, & abominabilia Deo facta. Et talia etiam essent fidelium seu renatorum opera, si in se tantummodò spectentur, propterea quod in iis etiam peccatum habitat, & omnia eorum cogitata, dicta, facta bona foedat, Psal. 143, 2. Rom. 7, 14. seqq. Hebr. 12, 1.

XLIV. Verùm quia reconciliati hi Deo sunt per fidem in Christum, Roman. 5, 1. & remissa ipsis propter meritum Christi peccata sunt, & continuè remittuntur, Ephes. 1, 7. & Spiritus S. templa facta sunt, 1. Cor. 6, 19. qui bonorum in ipsis motuum, cogitationum & actionum autor est; igitur imperfectio etiam & adhærens τὸ ἀνομιον, jugiter in ipsis merito Christi tegitur, remittitur, & ad damnationem non imputatur; quin è contrariò, uti per-



personas sibi reconciliatas ἐχάρησαν ἐν τῷ ἡγαπημένῳ, gratis acceptas in dilecto illo (filio suo) fecit, Eph. 1, 6. ita etiam omnia ipsorum (quatenus reconciliati & fideles manent) bona cogitara, bene dicta, & proba facta, ὀδοῶς acceptat, & gratuita illis beneficia, cum temporalia, tum spiritualia, coelestia & æterna, itidem propter Christum intercessorem, destinat; quæ acceptatio operum est fructus consequens acceptationem personæ, vim ab illa omnem mutuans, eidemq; ut fulcro innitens, ita ut sine illa hæc non possit consistere.

XLV. Pertinent huc verba Jehovæ Esa. 56, 7. *Adducam eos (conversos ex gentibus) ad montem sanctum meum, & latifabos eos in domo preceationis meæ, holocausta eorum & sacrificia eorum ἰσῆϋ ad beneplacitum (grata & accepta erunt) super altari meo.* Vix abest, quin certò asseram, hunc ad Propheticum locum respexisse Apostolum Hebr. 13. ubi postquam altaris in N. Testam. mentionem fecisset, v. 10. quod Christi satisfactio est; subjicit deinceps v. 15. *Per ipsum igitur assidue offeramus hostiam laudis semper DEO, &c. v. 16. Beneficentia autem & communicationis ne obliviscamini; talibus enim victimis ἁγαπῆται ὁ Θεός, placeatur DEO, (non, promeretur DEUS, ut Vulgatus Interpretam barbarè quàm falsò reddidit.)*

XLVI. Rom. 8, 1. de renatis dicit Paulus: *Nulla nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo JESU (per fidem ipsi unitis; additur etiam horum descriptio ab exercitio pietatis, seu bonorum operum,) non secundum carnem ambulantes, sed secundum Spiritum.* Post v. 8. *Qui in carne sunt, DEO placere non possunt;* quibus per antithesin judicare vult, qui secundum Spiritum ambulant, DEO placere, quod expressè c. 12, 1. asserit.

XLVII. Explicari quoque id potest exemplo Henochi. Homo ipse erat, perinde ut alii, *ad imaginem Adami genitus, Gen. 5. v. 3.* hoc est, in peccato originali conceptus & natus, *filius ire natus; à, ut ceteri, Eph. 2, 3.* De eo igitur dicitur Gen. 5, 22, 24. quòd *חֵנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים ambulaverit cum DEO, quæ phrasis pietatis & sanctimonix studium indefessum ac fervens, imperfectionis tamen & peccati haudquaquam expers, exprimit. Porro de hoc*



Henoch Hebr. 11, 5. dicitur; priusquam transferretur (in cœlum,) testimonium adeptus est, quod placuisset DEO. v. 6. At qui sine fide impossibile est (DEO) placere. Ex quo elicimus, quod hactenus assertum, sanctimonix seu bonorum operum studium DEO placere, & remunerationem gratuitam sortiri, per fidem in Messiam; & sic hanc quasi formam specialem seu specificam esse, qua bona opera fidelium & renatorum, ab omnium aliorum bonis visis operibus determinantur.

XLIX. Nervosè D. D. Gerhardus b. m. Confess. Cathol. tomo ult. p. 813. *Forma intrinseca bonorum operum est ἐνομία, ipsa convenientia cum lege DEI; extrinseca, à qua denominantur DEO accepta, est fides, per quam opera nostra DEO placent in Christo, & propter Christum. Illa ratione habent esse absolutum, hac respectivum. Ενομία est forma constituens, πίστις est quasi forma assistens. Ibidem paulò antè: Bona opera considerantur vel νομικῶς, legaliter, vel Ευαγγελικῶς, evangelicè. Conformitas cum lege est vera & propriè dicta bonorum operum absolutè consideratorum forma; sed cum perfectà illa cum lege conformitas in hac vita ne quidem in renatorum operibus inveniat, ideo in Evangelio ostenditur, propter Christum Mediatorem fide apprehensum, renatorum opera DEO placere, atq; ab illo acceptari.*

πορισματα

Cultus electitios Pontificiorum.

XLIX. Ex allatis hæc usq; deducimus πορισματα quædam ἐλεγκτικὰ. Ex PRIORI quidem themate, de forma bonorum operum intrinseca & generali, quæ ἐνομία est, patet, falsa esse Pontificiorum dogmata, dum asserunt, 1. Inter verè bona opera numerandos esse (quoniam, ut praxis Papalis edocet, operum bonorum præcipua esse) cultus electitios, magnam partem in vim legum Papalium redactos, & opera, ex bona tantum intentione, DEO serviendi, quoniam & DEUM placandi, proprio arbitrio (extra & præter legem DEI moralem) suscepta & præstita, quæ in artic. 20. A. C. vocantur puerilia & non necessaria opera, ut certæ ferie, certæ jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatus, & similia. Catalogum ejusmodi sanctionum, cultuumque & operum supersticiosorum, exhibet liber insignis Statuum Evangelicorum, Anno 1564. Erphurdix (ut ex Chy-



Chytræi Saxon. lib. 20. patet) impressus, cui titulus: *Stattliche*  
Ausführung der Ursachen / darumben die Chur. und Fürsten / auch  
andere Stände der Augspurgischen Confession / des Pabsts Pii IV.  
aufgeschrieben vermeint Concilium, so er gegen Trient angefahrt /  
nicht besuchen könten / re. p. 253. seqq.

L. D. Gerhardus Conf. Cath. tom. ult. p. 789. *In Papatu*  
*magna reperitur congeries eorum, qua, licet in lege divina nusquam*  
*sint mandata, tamen sub opinione necessitatis, cultus ac meriti, ut*  
*verè bona opera & DEO grata, hominibus obtruduntur & incul-*  
*cantur, quinimò majus ferè pietatis momentum in illis ἐθελοωθει-*  
*σοθενουκείας, ut Epiphanius adv. her. Phar. electios illos cultus*  
*appellat, quàm in operibus lege divina mandatis, statuitur. Car-*  
*nes feria sextâ qui manducaverit, pœnam incurrit; inebriari im-*  
*punè ipsi licet. Concubinatus in sacerdotibus toleratur, conjugium*  
*eorum damnatur.*

LI. Contra hunc igitur errorem crassissimum Spiritus S.  
toties pugnat, quoties (1.) DEUM solum nostrum legislatorem  
vocat, cui scil. competit, normam cultus sibi grati, & obedien-  
tiæ θεαρέτης. constituere, Esa. 33, 22. c. 48, 17. Eph. 2, 10. Jac. 4.  
v. 12. (2.) SOLI Verbo DEI, in Scripturis revelato, inhærendum,  
& secundum illud obedientiam DEO præstandam esse, inculcat,  
Deut. 4, 2, 8, 32. Psalm. 119, 5. Prov. 30, 5, 6. Ezech. 20.  
v. 19. Matth. 22, 37-40. &c. (3.) ἐθελοωθεισοθενουκείας & cultus electi-  
tios apertè repudiat, quin scortationis spiritualis notâ infamat,  
Num. 15, 39. Psalm. 106, 39. Esa. 29, 13. Jer. 7, 31. Mich. 6, 7, 8.  
Matth. 15, 9. Col. 2, 18-23. Quò pertinent exempla Israelitarum,  
qui cultus proprio arbitrio, optimâ licet intentione, nec sine ze-  
lo, at non secundum scientiam, instituentes, gravissimè pecca-  
runt, & atroces pœnas sibi attraxerunt, Exod. 32. Jud. 8. 17. &c.  
Quæ autem contrà à Pontificiis adferri solent, pro pallianda sua  
sententia erronea, ad ea respondentem lege D. D. Gerhardum  
tom. 4. L. C. loco de bonis operibus, § 17.

LII. 2. Dari præter DEI præcepta etiam Consilia, quæ non qui-  
dem obligent omnes homines, at ab iis liberè præstentur, qui ad  
perfectionis statum, quem vocant (est autem Monasticus) se confe-  
runt.

Aaa 3

runt,

Consilia  
Evangelica  
Pontificiorum.





Opera su-  
pereroga-  
tionis.

runt, votoque peculiari adstringunt; atque horum consiliorum observatione plura acquirant merita, quam quæ sibi ipsis sint necessaria, ideoque aliis, ad peccatorum remissionem, & vitæ æternæ meritum, applicare possint, quæ opera *supererogationis* vocare solent. Et rectè quidem ita vocari, quidam etiam nostratum statuunt, quia ingens pecuniæ summa illis erogata est, qui opera illa aliis vendiderunt; rectius autem dici opera *superarrogationis*, quòd sit impia & immanis arrogantia, sibi tale quippam tribuere ac polliceri: vel opera *supereructationis*, quòd portentosum hoc καύχημα, de perfecta non solum legis divinæ observatione, sed plurimum etiam, quam lex requirit, præstatione, ceu saniem ulcerosi pectoris fædam, in facie Ecclesiæ eructare, autores ejus non crubescant. Benè D. Franzius disp. 6. in A. C. §. 42. de his dicit, quòd non tantum Pharisæica præsumptio vana perfectionis, sed etiam Diabolica somniata supererogationis superbia eos vexet, quodq; miseriam corruptissimæ naturæ limis oculis nondum adspicere cœperint.

LIII. Consilia autem illa variè recensent. Unde Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 8. §. ult. *Multa esse verè & propriè consilia Evangelica, sed præcipuè tria: Continentiam, Obedientiam, & Paupertatem.* Quæ tria nim. votorum Monachalium materia existunt. Duodecim alii numerant. (1.) *Paupertas*, Matth. 19, 21. (2.) *Abnegatio sui*, Luc. 9, 23. (hæc Monachorum, scilicet! obedientia est.) (3.) *Castitas sive calibatus*, Matthæi 19, 12. (4.) *Non retribuere malum pro malo*, Matth. 5, 44. (5.) *Patientia injuria*, Matth. 5, 39. (6.) *Erogatio operum misericordie*, Luc. 6, 30. (7.) *Compescere juramentum & verbum oculosum*, Matth. 5, 34. c. 12, 36. (8.) *Vitare occasionem peccandi*, Matth. 18, 9. (9.) *Prudenter operari, ne fiamus hypocrite*, Matthæi 6, 1. (10.) *Facere quod doces*, Matth. 23, 3. (11.) *Non esse sollicitum de victu*, Matth. 6, 31. (12.) *Correctio fraterna*, Matt. 18. v. 15. nim. de peccatis venialibus; de mortali verò peccato esse præceptum obligans semper, sed non ad semper, scil. dum utilis videtur esse correctio.

LIV. Atq; hæc tam planè nolunt esse præcepta, ut Sorbo.



bona Parisiensis contra Lutherum scribere non dubitaverit, esse hæc nimis onerativa Christiana religionis, si pro præceptis teneri oporteat; referente D. Joh. Pappo in comment. hujus artic. p. 87. Ubi refutationis ergo nervosè subjicit, ex illis ipsis testimoniis, quæ singulis (ut appellantur) consiliis adjecta sunt, luce meridiana clariùs perspicì, à Domino ista non consili, tanquam intermedia aut cōdicō, sed planè præcipi & mandari. Et quid Christianismi, quæso, remanebit, si ab illo, quæ consiliorum instar (non Christianis omnibus, sed perfectis solis competentium) adducta sunt, præsertim misericordia exercitium, correctionem fraternam, vitiationem occasionis peccandi, & tō facere, quod quis docet, removeris? Alia hic adjicere non permittit chartæ angustia, legi autem inter alios de hoc themate possunt D. Chemnitius part. 2. L. de discrim. præcept. & consil. p. 109. seqq. & D. Gerhardus tom. 3. L. C. de Evangelio, §. 82. seqq. Et in Confess. Cathol. part. 3. pag. 281. seqq. Atq; hæc de themate nostro priori.

LV. Ex POSTERIORI, de forma bonorum operum extrinseca & speciali, quæ fides est (sensu suprâ exposito) patet, Pontificios efficaciam meriti Christi, contra Scripturam SS. adeoq; impie extendere eò, ac si bonis operibus vis vitæ æternæ meritoria, ex justitiâ & satisfactione Christi concilietur; quod alii Papistæ sic efferunt, opera bona justorum non mereri per se ac sua virtute, sed quatenus adpersa sunt sanguine Christi. Costerus in Enchirid. p. 288. *Morte sua Dominus etiam dignitatem operibus nostris attribuit merendi vitam æternam, ad quam nemo mortalium, viribus suis confisus, unquam aspirare aude- ret. Et p. p. Majorem vim & gloriam meritis & morti Christi tribuunt, qui docent, illis non solum peccata hominibus condonari, hoc est, homines à morte anima ad vitam revocari; sed iis quoque vires restitui, dignitatemq; conferri promerendi operibus non exiguum hujus mundi, sed immensum atq; æternum futura vitæ stipendium. Merita enim nostra ex meritis Christi vim habent, qui tantum divitiarum sibi nobisque comparavit, ut noluerit nobis à Patre gratis dari præmium cælesti, sed meritis nostris, quibus*

An merita  
Christi o-  
peribus no-  
stris meri-  
toriam vim  
tribuant?



*Deu spirituali pecunia à Christo accepta, cœlum nobis emamus.*

*Costero re-  
spondetur.*

LVI. Pronunciata sanè abominabilia, planèq; *Φοβλινὰ ἀ-  
κρίματα, ἀτὲρ χαφῆς*, imò *ἀνλζαφως* prolata. 1. Scriptura  
nuspian dicit, Christum pro bonis nostris operibus esse passum,  
ut illis vim meritoriam conciliaret, sed pro peccatis nostris, ut  
ea expiaret, & gratuitam illorum remissionem nobis impetraret:  
Ea autem impetrata per fidem (quâ adpersio sanguinis Christi  
spiritualiter homini obtingit ad gratuitam justificationem,) &  
persona DEO reconciliata, ac propter justitiam Christi imputa-  
tam placente, placent unà etiam DEO (non vero placant DEUM)  
omnia licèt imperfecta & immunda sint, regenitorum opera bo-  
na, haudquaquam verò vis merendi quædam, quam tota Scriptura  
penitus ignorat, iis tribuitur.

LVII. 2. *Majorem vim & gloriam meritis & morti Chri-  
sti tribuere se, asserendo, ea vim vitam eternam merendi bonis no-  
stris operibus tribuere, Costerus ait.* Scriptura contrarium asseve-  
rat, non opera nostra, sed Christi merita, passionem & mortem,  
hanc vim habere, Rom. 3, 22--25. c. 4, 2--8. &c. Demitur Chri-  
sti merito sufficientissimo, quodcunq; nostris operibus, ullo re-  
spectu causali in justificationis & salutis opere, vendicatur, Gal. 2.  
v. 21. cap. 3, 11--14. *Christum noluisse, nobis à Patre gratis dari  
præmium cœleste, sed meritis nostris, inquit Costerus.* Scriptura  
*δὲς Δὲ πωσῶν* dissonans, Christum omninò voluisse nobis à Pa-  
tre gratis dari præmium cœleste, non verò meritis nostris, astruit,  
Phil. 3, 7--10. Tit. 3, 5, 7. *Divitias Christi, merito ejus partas, in  
nostris meritis ponit Costerus.* Scriptura è contrario collocat  
eas in gratuita cum DEO propter Christum reconciliatione, &  
æterna salvatione, sine ullis hominum meritis, Eph. 2, 6--9. *Cœ-  
lum à nobis emi operibus nostris, seu spirituali pecunia, asserit  
Costerus.* Contrà Scriptura S. cœlum seu cœlestem gloriam non  
emi, seu operibus meritoriis comparari, sed gratis dari, ubique  
adseverat, &c.

LIX. Cæterùm, si rem recta veritatis lance pensare veli-  
mus, facilè patet, non tam spiritualement hanc (quam plenis buccis  
crepant) quam terrenam, & propriè dictam emationem cœli, quæ  
au-



auro argentove in monetam cuso fit, toti Clero Papali, præser-  
 tim Papæ ipsi & Episcopis, curæ ac cordi esse, secundum illud  
 Bapt. Mantuani: *Venalia nobis Tempia, Sacerdotes, altaria, sacra,*  
*corona, Ignis, thura, preces, cælum venale DEU' q.* Quod in-  
 ter alia Simonix capita, indulgentiarum thesaurus insigniter lu-  
 crativus ostendit, de quo in lib. *Onus Ecclesia*, dicto (apud Joh.  
 Wolffium tom. 2. lect. memorab. pag. 106.) *Qui indulgentias*  
*proclamant, nummorum quarunt contributionem, non hominum*  
*salutem.* At tanti eas fecit Fr. Johan. Naas, ut asseveraret, (notan-  
 te Wolffio pag. 855.) *indulgentias (cùm pecuniâ quis peccatorum*  
*remissionem consequitur à Papa) esse unum de duodecim articulis*  
*fidei: Credo remissionem peccatorum.*

### SECTIO III. De Causa **B**onorum operum.

LIX. Dictum supra est, *καὶ θεῶν καὶ ἀγῶν*, causam bono-  
 rum operum finalem ab August. Confessione exprimi. *Ἀγῶν* leu-  
 remotionem præmittimus, uti & articulo 20. §. *Præterea docent*,  
 præmittitur. Ea autem est: *Non ut confidamus per ea opera justi-*  
*ficationem (gratiam, dicitur artic. 20.) coram DEO mereri;* uti  
 videlicet totus Papatus huic *ἡ ἀδοξασμένη* (de justitia inhærente  
 ac justificante, deq; meritis bonorum operum) superstructus est.  
 Vide dissert. 8. §. 32. 43. seqq.

*Bona ope-  
 ra non sunt  
 meritoria.*

LX. Probatio hujus propositionis negativæ desumitur,  
 i. à contrario, causa nim. veræ notatione. *Nam remissio pec-*  
*catorum & justificatio fide apprehenditur.* In artic. 20. latius hoc  
*ἀνὸς θεῶν* expositum extat: *Opera nostra non possunt reconciliare*  
*DEUM, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam & justi-*  
*ficationem; sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod*  
*propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est me-*  
*diator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaq; qui*  
*confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum*  
*& gratiam, & querit sine Christo humanis viribus viam ad DEUM,*

B b b

cūm





cum Christus de se dixerit: Ego sum via, veritas & vita. Hac doctrina de fide ubiq; in Paulo tractatur. Ephes. 2. Gratiâ salvi facti estis, per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, &c.

Dicium  
Christi  
Luc. 17. ex-  
penditur.

LXI. 2. Ex dicto Christi, Luc. 17. Cum feceritis hac omnia, dicite, servi inutiles sumus. Hac verba (inquit Apologia A. C. pag. 131.) clarè dicunt, quòd DEUS salvet per misericordiam, & propter suam promissionem, non quòd debeat propter dignitatem operum nostrorum. Notandum de hoc dicto, ὑπόδοσις esse similitudinis à Christo propositæ, cujus ἀρχαῖος est, quòd servus in agro, ex heri sui mandato arans aut pascens, & postquam pondus diei & æstus portavit (Matth. 20, 12.) domum reversus, non tamen omnia sua, quæ facienda incumbunt, adimpleverit, multò minùs meritus sit, ut dicatur ei ab heri, statim transi & accumbe, sed quòd potiùs novo agendorum mandato obstringatur: Para quod cenem, & præcinge te, ac ministra mihi, donec edero & bibero; postea verò, ut & ipse edat & bibat, benignitate heri ei permittatur, v. 7, 8, 9. Jam applicationem Christus facit his verbis, v. 10. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quòd debuimus facere, fecimus.

LXII. Argumentum igitur hinc elicitur non unum. 1. Opera fidelium (cùm discipulis enim suis Christo res erat) jure domini DEI sunt debita. Igitur non possunt quicquam iis mereri, cùm meritum propriè sic dictum cum debito consistere non possit. 2. Conferuntur iidem servo, cui imperata heri sui sedulo facienti, nulla debetur gratia; quæ igitur ipsorum erga DEUM essent merita? 3. Jubentur se inutiles servos profiteri, cùm omnia, quæ præcepta sunt, fecerint; quænam igitur de meritis operum opinio esse poterit, cùm vix inceperint facere imperata? Hieron. in Epist. ad Ctesiph. *inutilis servus est, qui fecit omnia, quid de eo dicendum, qui explere non potuit?* Corn. Jansenius in Concord. Evang. c. 98. *Quòd præcipit, ut dicamus nos servos inutiles, cùm omnia præcepta adimpleverimus, non sic accipiendum, quòd quis sit, qui omnia adimpleverit, (in multis enim, inquit Jacobus, offendimus omnes,) sed sensus est: Etiam si feceritis omnia, ta-*  
men



men agnoscite vos servos inutiles. Quo significatur, quàm inutiles nos debeamus reputare, & nos deprimere, cum adverterimus, nos omnia nobis præcepta non implevisse.

LXIII. Hanc ad collectionem ex Christi verbis, duo ab adversariis, tempore August. Conf. fuere reposita. (1.) Καὶ ἐβ-  
λυσῆς ὅσον, & per retorsionem: *Multo magis dici posse: si credideritis omnia, dicite, servi inutiles sumus.* Respondet Apologia, p. 131. ἀβλυσῆς ὅσον hoc esse vitiosum. Concedi quidem posse, si de fide historica, (quæ etiam in impiis & diabolicis est) sermo sit. Loqui autem nos de fiducia promissionis & misericordia, seu quæ apprehendit misericordiam seu promissionem gratiæ, etiamsi opera nostra sint indigna. Ad hanc non posse fieri applicationem, (cum in hoc omnibus operibus meritoriis opponatur.) & ipsam hanc confessionem, quòd opera nostra sint indigna, esse fidei vocem, quæ sola nititur DEI misericordiæ, & operum merita longum remouet, ut ex Danielis exemplo patet, c. 9, 18. (2.) *Opera inutilia esse Deo, non nobis.* Respondet Apol. p. 132. *Cavillationem puerilem esse, Christum quippe loqui de eâ utilitate, quæ constituit nobis Deum debitorem gratiæ, & sic respectu nostri utilitatem eam removeri à nostris operibus.* Alias adversariorum exceptiones, & quid ad eas respondendum sit, lege apud Gerhardum tom. 4. L. de bonis operibus, §. 91. & Conf. Cath. part. ult. p. 864. seqq.

LXIV. 3. Autoritate Ambrosii adductâ (in princ. comment. in 1. Cor. 1.) *Hoc constat est à DEO, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.* In artic. 20. aliud Ambrosii effatum adfertur, lib. de vocat. gentium: *Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordia DEI humanorum operum prerogativa succumberet, si justificatio, quæ sit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.* Augustinus etiam citatur, qui multis voluminibus defendit gratiam & justitiam fidei contra merita operum; fini hac, ne quis cavilletur, à nobis Pauli interpretationem excogitari, cum tota hæc causa testimonia Patrum habeat.

LXV. 4. Ex contrario effectu doctrinæ de operum me-

Bbb 2

ritis,



ritis, & de gratuita justificatione sine operum meritis, argumen-  
tum additur artic. 20. in hunc modum: *Quamquam hac doctri-  
na contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur pia ac pavidam  
conscientia, plurimam eam consolationis afferre, quia conscientia  
non possunt reddi tranquilla per ulla opera, sed tantum fide, cum  
certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum DEUM.  
Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Justificati per fidem, pacem  
habemus apud DEUM. Et deinceps: Olim vexabantur conscien-  
tia doctrinam operum, non audiebant ex Evangelio consolationem.  
Quosdam conscientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes  
ibi se gratiam merituos esse per vitam monasticam. Alii alia  
excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam & satisfacien-  
dum pro peccatis. Ideo magnoperè fuit opus, hanc doctrinam de  
fide in Christum tradere & renovare, ne deesset consolatio pavidis  
conscientiis &c.*

LXVI. Apologia hujus 20. artic. in hunc modum id con-  
firmat: *Quis non gaudeat mori in confessione horum articulorum,  
quod remissionem peccatorum fide consequamur gratis, propter  
Christum, quod operibus nostris non mereamur remissionem pec-  
catorum. Nullam habebunt satis firmam consolationem conscien-  
tia piorum, adversus terrores peccati & mortis, & adversus  
Diabolum sollicitantem ad desperationem, si non sciant, se debere  
statuere, quod gratis propter Christum habeant remissionem pec-  
catorum. Hec fides sustentat & vivificat corda in illo asperissimo  
certamine desperationis. Digna igitur causa est, propter quam  
nullum recusemus periculum &c.*

Ob volun-  
tatem DEI  
b.o. facien-  
da esse,  
quid im-  
portet?  
LXVII. Hactenus agitur in finali B. O. causam constituen-  
dam; sequitur *Dei* & veri finis positio: *Propter voluntatem DEI.*  
Hac DEI voluntas late patet, & extendit se ad omnia illa, quo-  
rum intuitu bonorum operum studio invigilandum esse, sacrae  
literae (utpote voluntatem DEI exactè nobis representantes)  
nos docent. Spectant autem *tum* ipsum DEUM, *tum* proximum,  
*tum* nos ipsos.

Respectu  
DEI.  
LXIX. In DEO consideranda, (1.) *Mandatum ejus.* Vult  
enim & mandat, ut sanctitati vitae studeamus, Lev. 11, 44. 19, 2.  
Ec-



Eccl. 12, 13. Esa. 1, 17. Ezech. 20, 19. Mich. 6, 8. Joh. 13.  
v. 34. 1. Theff. 4, 3. 1. Joh. 4, 21. Specialiter huc integer De-  
calogus pertinet. (2.) *Promissa ejus*. Non solum mandat obedi-  
entiam, sed & morigeris multa & magna promittit (non ex debito,  
sed mera gratiâ) præmia, tam corporalia quàm spiritualia & æter-  
na, Deut. 28, 1--14. Esa. 3, 10. Matth. 25, 34, 35. Joh. 5, 29.  
c. 12, 26. c. 14, 23. Rom. 2, 6, 7. 1. Cor. 2, 9. 1. Tim. 4, 8. Tan-  
tus id genus effatorum (quibus & γενικῶς timentibus DEUM; &  
ειδικῶς, verbi sui amatoribus, erga parentes morigeris, humili-  
bus, mansuetis, castis, misericordibus, beneficis &c. præmiatio  
divina spondetur,) cumulus est, ut brevibus enumerari non possit.

LXIX. (3.) *Beneplacitum ejus*, ad quod tota nostra vita con-  
formanda; eccui enim placere mallemus, quàm beneficentissi-  
mo nostro Patri, in quo (ut Paulus ait Act. 17, 28.) *vivimus,*  
*movemur, & sumus;* & à quo (Jacobo asserente cap. 1, 17) *omnis*  
*donatio bona, & omne donum perfectum è supernis descendit?*  
Act. 10, 35. Rom. 12, 2. Col. 1, 10. Hebr. 12, 20. cap. 13, 16, 21.  
1. Tim. 5, 4. 1. Joh. 3, 22. (4.) *Glorificatio ejus*, quem ad finem  
supremum omnia nostra humili devotione referenda sunt, ut ipse  
vult & mandat, Psal. 50, 15. Vide & sequentia loca, Psalm. 115, 1.  
Jerem. 9, 23, 24. Matth. 5, 16. 1. Cor. 10, 31. Phil. 1, 11. 1. Petr. 2.  
v. 9, 13. cap. 4, 11. Contrâ autem per mala opera DEI nomen  
& verbum blasphemari, Scriptura assevit, à quo (ut gravissimo  
peccato,) sedulo abstinendum, Esa. 52, 5. Ezech. 36, 20. Rom. 2.  
v. 24. 1. Tim. 6, 1. Tit. 2, 5.

LXX. (5.) *Beneficia ejus* immensa & inenarrabilia, pro qui-  
bus gratitudinis nostræ monumenta, per sanctimonix studium,  
DEO (secundum voluntatem ejus, Ps. 50, 14.) debemus. Sunt autem  
beneficia, *creationis & conservationis*, quod obedientiâ à nobis in  
se requirit, Deut. 32, 6. Mal. 1, 6. c. 2, 10. Ps. 139, 13-24. Ephes. 4.  
v. 24. 1. Petr. 4, 19. *Redemptionis*, quæ præter finem primariû, salva-  
tionem nostram, ideo facta, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus,  
in sanctitate DEO servientes, Luc. 1, 74, 75. Rom. 6, 4. 2. Cor. 5.  
v. 15. Tit. 2, 14. 1. Petr. 2, 24. *Conversionis & justificationis gra-*  
*uitæ*, Rom. 6, (per totum.) c. 8, 1. 1. Petr. 2, 9-12. *Sanctificationis*



& renovationis, quæ ipsum pietatis zelum proximè complectitur, 1. Cor. 6, 11. Galat. 5, 25. Ephes. 4, 1, 23, 24. 1. Thessal. 4, v. 7. 1. Petr. 2, v. 20, 21. In quo CHRISTUS exemplar se nobis & speculum purum proposuit, Matth. 11, v. 29. Johan. 13, 15. Phil. 2, 5. 1. Petr. 2, 21. 1. Joh. 2, 6. Quò pertinet reverentia verbo DEI & Evangelio (ut organis conversionis, justificationis & renovationis nostræ) debita, bonisque operibus declaranda, Phil. 1, 27. Col. 1, 10. 1. Thess. 4, 7. Tit. 2, 10. Resurrectionis demum futuræ & æternæ salvationis, Rom. 8, 11, 12, 13. 2. Cor. 5, v. 9, 10. Hebr. 12, 28, 29. &c.

*Respectu  
proximi.*

LXXI. In proximo, secundum voluntatem DEI, consideranda, (1.) *Juvandi ipsum, & officiis nostris sublevandi debitum*, Rom. 13, 8. Eph. 4, 16. Tit. 3, 14. 1. Joh. 3, 18. (2.) *Scandalis fuga, & lux boni exempli, lucrificandi proximi causa*, Matth. 5, v. 16. c. 18, 17, 8, 9. 1. Cor. 10, 32. 2. Cor. 6, 3. Phil. 2, 15. 1. Petr. 3, v. 1, 2. Hebr. 12, 15, 16. (3.) *Improborum calumniatorum pudelfactio*, 1. Tim. 5, 14. Tit. 2, 7, 8. 1. Petr. 2, 11, 12. c. 3, 16.

*Respectu  
nostri.*

LXXII. In nobis ipsis, juxta DEI voluntatem, expendenda, (1.) *Testimonium* de reconciliatione nostra cum DEO, & filiatione gratuita per fidem in Christum, quod ex hoc effectu, ceu *ὑποτίθηται* quodam, desumitur, Matth. 5, 44, 45. 2. Corinth. 5, 17. Gal. 6, 24. Eph. 5, 1, 8. 1. Petr. 1, 14. 2. Petr. 1, 10. 1. Joh. 2, 4. c. 3, v. 2, 3, 18, 19. c. 4, 11, 12, 20. Quò pertinet declaratio veræ fidei, quæ solâ salvamur, Gal. 5, 6. Jac. 2, 17, 18, 26. (2.) *Evitatio poenarum*, temporalium & æternarum, peccantibus contra conscientiam constitutarum, Deut. 27, 15-26. c. 28, 15. seqq. Matth. 3, 10. Rom. 8, 13. 1. Cor. 6, 9, 10. Col. 3, 5, 6. Hebr. 12, 28, 29. Quò pertinet fidei excussio, Spiritus S. contristatio, divinæ gratiæ amissio, 1. Tim. 1, 19. Eph. 4, 30. & contrâ in potestatem Diaboli atrocissimam traditio, Act. 5, 3. 2. Cor. 4, 4. Ephes. 2, 2. 2. Tim. 2, 26. 1. Joh. 3, 8, 12. Apoc. 18, 2. quæ mala horribilia ut evitentur, ab impietate sollicitissimè cavendum, & in via mandatorum DEI jugiter ambulandum est. (3.) *Consecutio præmiorum* tam corporaliū, quàm spiritualium, ex merè gratuita DEI promissione, Esa. 3, 10. 1. Cor. 3, 8. 2. Cor. 9, 6. Gal. 6, 8, 9. 1. Tim. 4, 10. 2. Petr. 1, v. 4. &c.

LXIII.



LXXIII. Circa quod ultimum quæri potest, an bona opera <sup>An meriti</sup> nostra, præmiorum hujusmodi <sup>box usur-</sup>merita dici possint? Philippus <sup>panda de</sup>Melanchthon in Apol. A. C. vocem hanc usurpat, p. 96. <sup>bonis ope-</sup>Hic ad- <sup>ribus?</sup>dimus etiam de præmiis & de merito. Docemus operibus fidelium <sup>ribus?</sup>proposita & promissa esse præmia. Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ, aut justificationis, (hæc enim tantum fide consequimur,) sed aliorum præmiorum corporali-um & spiritualium, in hac vita & post hanc vitam, &c. p. 137. Etsi justificatio & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera merentur alia præmia, corporalia & spiritualia, & gradus præmiorum, juxta illud: Unusquisq; accipiet mercedem, juxta suum laborem. Nam justitia Evangelii, quæ versatur circa promissionem gratiæ, gratis accipit justificationem & vivificationem. Sed impletio legis, quæ sequitur fidem, versatur circa legem, in qua NON GRATIS, sed pro nostris operibus offertur, & DEBETUR MERCES, sed qui hanc merentur, prius justificati sunt, quam legem faciunt, &c. Et p. p. Opera & afflictiones merentur, non justificationem, sed alia præmia, &c. Ita in editione, quæ libro Concordiæ, Lipsiæ impresso An. 1618. inserta est. (In eâ enim, quæ tomo 4. Jenens. lat. Lutheri extat, immane quantum variationis verborum hic videre licet.)

LXXIV. Quo sensu autem Philippus, eo tempore, & in hoc ipso scripto, quod maximè contra operum merita directum est, terminum illum, *mereri & meritum*, & quidem tali cum oppositione, *non gratis, sed pro nostris operibus offerri, & deberi mercedem &c.* adhibuerit, nolumus operosius inquirere. In laxâ & generali vocis significatione adhibuisse, quidam notant, ut sit idem, quod præstare opera Deo grata, idq; ex ipsius gratiâ, & gratuitam eorum remunerationem accipere: vel, ut verbum *mereri* idem notet, ac *τυχεῖν ἢ ἰσχυρεῖν*, *consequi, impetrare*, cujus significationis ex Patribus etiam aliisq; autoribus similia exempla adduci solent. Quæ quidem simplici *merendi & meriti* voci usurpatæ, satisfacere utcunq; possent; at dictæ *ἀντὶ τῶν ἔργων* neuntiquam satisfaciunt.

LXXV. Quicquid sit, *catachresticam* locutionem esse, D. D. Ger-





Gerhardus rectissime monet, tom. ult. Conf. Cathol. p. 895. & ab ea penitus abstinendum esse, omnino existimamus, cum sententia Pontificiorum si non planè congrua, attamen valdè vicina sit. Ipse Philippus longè aliter in primâ L. C. editione, quem libellum *hypotheses Theologicas* inscripsit, (Witebergæ anno 1521.) p. M. 3. *Quaquà te verteris, inquit, sive ad opera precedentia justificationem, sive ad ea, quæ sequuntur justificationem, nullus nostro merito locus est.* Et p. M. 4. *Dices, nihil igitur meremur? Ecquid Scriptura toties mercedis vocabulo utitur? Respondeo, merces est, debeturq, non merito ullo nostro, sed quia Pater promisit, jam velut obstrinxit se nobis, ac debitorem fecit iis, qui tale nihil meruerant.* Ubi mox dicta Luc. 17, 10. Rom. 6, 23. allegat.

LXXVI. Concludimus hanc sectionem verbis D. Franzii disput. 6. quâ articulum hunc explicat, § 22. *In reconciliatis bona opera placent DEO, fide in & propter Mediatorem, atq, tunc simul habent premia spiritualia & corporalia, in hac vita & post hanc vitam, idq, omne omninò & solummodo ex gratuita promissione divinâ, quæ DEUS promisit ex misericordiâ & paterna liberalitate, propter Christum, ornare illam, quamvis inchoatam, languidam, imperfectam & immundam Christianorum in hac vitâ obedientiam: Sicuti etiam hæ promissiones in renatis studia & exercitia bonorum operum excuscitare & confirmare debent.*

#### SECTIO IV.

### De necessitate bonorum operum.

LXXVII. *OPORTET bona opera facere*, ait Confessio nostra; ut non solum naturam bonorû operum quoad antenus exprimeret, de quo postea; sed & calumniam Pontificiorum, in nostras Ecclesias, retunderet, ac si bona opera nobiscum prohibeantur. Quod equidem *ἔγκλημα* tanti ponderis fuit Homologetis augustis meritò visum, ut peculiarem & prolixum satis articulum, vicessimum in ordine, de hoc formârint. Certè qui *OPORTERE* bona opera à filiis Ecclesiæ fieri, statuunt, ecquæ illi prohibere, & non potiùs maximè requirere & urgere bona ope-

*Pontificio-  
rum calu-  
mnia.*





opera, dicendi essent? Neq; tamen & sic calumniandi pruritus in adversariis refrigit, unde Joh. à Daventria (notante D. Menzero in Exeg. A. C.) in suo de hoc articulo iudicio, bona opera fuisse à Luthero proscripta, nimir. per doctrinam de fide sola iustificante, impudenter asseruit. Idemq; Jetuitarum aliorumqve, Papæ osculantium decreta, coccyismus perpetuus est.

LXXIIX. Verùm contra Bellarminus lib. 4. de Ecclesiâ, c. 9. S. Lutherus: Brentius (inquit) & alii dicunt, opera bona esse necessaria, tanquam effectus fidei; sed posita ista necessitate, docent, opera non mereri ullomodo vitam aeternam, etiamsi DEUS ea requirat, tanquam testimonia fidei. Et libr. 4. de justif. c. 1. etsi ex Lutheri dictis, & doctrinæ nostræ principiis, educere latagit, negari à nobis omnimodam bonorum operum necessitatem; attamen, vi veritatis compulsus, Non desunt (inquit) qui clament, injuriam fieri Lutheranis, cùm dicuntur opera bona, tanquam non necessaria ad salutem, contemnere. Nam Confessio ipsa Augustana art. 20. falso, dicit, accusari suos, quòd bona opera negligant vel prohibeant. Philippus quoq; in locis, Brentius in Catechismo, Chemnitius in Examine Concilii sess. 9. propè finem, & ipse etiam Lutherus, in libro de Visitatione Saxonica, docent, opera bona esse facienda, & aliquo modo indicant esse necessaria, cùm affirmant, veram fidem non esse, quæ non parit bona opera, & quæ charitatem comitem non habet.

LXXIX. Ceterum rectè & Scripturis sacris conformiter, vò O-  
PORTEAT illud, seu necessitas bonorum operum, describenda. Non est 1. (ratione principii interni) necessitas coactionis, sicut duræ cervicis populus legum repagulis, & forensium iudiciorum rigore coercetur, ne facinora, ad quæ totus propendet, licentius designet. Ecclesia enim vera **עם נרבות** *populus spontaneus* est, Psalm. 110. v. 3. & credentes prompto atque hilari animo DEO serviunt, juxta ipsius verbum, Psalm. 51, 14. Psalm. 54, 8. Psalm. 57, v. 8. Psalm. 108, 2, 3. Psalm. 119, 32, 108. Rom. 7, 22. 2. Corinth. 9, 7. Philem. v. 14. Cujus promptitudinis causa Spiritus S. est in piis, veluti templis suis, habitans, 1. Cor. 6, 19. 2. Cor. 1, 22. Eph. 1, 13, 14. & ad bonum eos ducens suaviter & impellens, Rom. 8, 14, 15, 16.

Qualis necessitas bonorum operum intelligatur?

Ccc

Un.



Unde non sub lege (serviliter cogente,) sed sub gratia (DEI, amabiliter ad obedientiam filialem alliciente) dicuntur ipsi esse, Roman. 6, 14. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 20. Ἀβίατον εἶναι πρὸς τὸ καλόν. Augustinus in Psal. 77. Non tanquam ex necessitate, sed voluntarie legibus DEI serviunt. Quod ex 2. Corinth. 9, 7. Philem. v. 14. deductum.

LXXX. Nec est 2. (ratione finalis causæ) necessitas salutis efficienda vel promerendæ, sicut Pontificii explicant & defendunt, juxta Bellarmini verba, lib. 4. de justif. c. 7. Nos dicimus, bona opera homini justo esse necessaria ad salutem, non solum ratione presentia (quod adversarios suos docere, antè dixerat) sed etiam ratione efficientia, quoniam efficiunt salutem, & sine ipsis sola fides non efficit salutem. Quâ de re in dissertationibus de justificatione uberius actum.

Necessitas  
consequen-  
tia ad fidem.

LXXXI. Sed est, I. Necessitas consequentia, seu dependentiæ atque emanationis ex fide salvifica; quippe quæ DEBET bonos fructus parere, ut in Confess. nostrâ est, adeoque, licet sola justificet, sola tamen non est in justificatis, seu à disfectione & aliis virtutibus Christianis separata; id quod dissert. 7. §. 45-51. luculentè probatum dedimus. Addantur verba Lutheri, cap. 6. inter septendecim, ex quo articulus præfens A. C. profluxit, quæ ita habent: Daß solcher Glaube sey nicht ein menschlich Werk / noch aus unsern Kräfften möglich / sondern er ist ein Gottes Werk und Gabe / die der Heilige Geist / durch Christum gegeben / in uns wircket / und solcher Glaube / dieweil er nicht ein loser Wahn oder Dünckel des Herzens ist / wie die Falsch-Gläubigen haben / sondern ein kräftiges / neues / lebendiges Wesen / bringet er viel Frucht / thut immer guts / gegen Gott mit Loben / Danken / Bitten / Predigen und Lehren / gegen dem Nächsten mit Liebe / dienen / helfen / raten / geben und seihen / und leidet allerley Übels bis in den Tod. Extrant Rom. 5. Jenensi f. 15. Quæ prolixius & elegantissimè expolata habentur in præfat. Theandri super Epist. Pauli ad Romanos, ubi fidei vocem explicat.

LXXXII. Apolog. art. 20. p. 223. Bona opera necessario sequi debent fidem. Non enim abolemus legem, inquit Paulus (Rom. 3. v. 31.)



v. 31.) sed stabilimus; quia cum fide accipimus Spiritum Sanctum, NECESSARIO sequitur legis impletio, (non perfectissima, sine peccati ulla labe, sed imperfecta illa, sincera tamen, qualis in hac vita renatis per Spiritum S. possibilis) qua subinde crescit dilectio, patientia, castitas, & alii fructus spiritus. Placet etiam verba B. Menzeri emphatica adscribere, in Exeg. hujus articuli: Ubi de justificatis hominibus sermo est. non possunt satis commendari bona opera: quia nimirum fides (qua in justificatione unice occupatur circa Christum fiducialiter apprehendendum, & in eo gratiam DEI, justitiam, & vitam aeternam possidendam) nunc qs. foras prodians sese exerit, in producendis variis fructibus, ad DEI gloriam & proximi salutem. Quemadmodum D. Apostolus Galat. 5, 6. Fides, inquit, per charitatem operatur; hoc est, quemadmodum in justificatione fides oblatam in Evangelio gratiam & remissionem peccatorum accepit; ita nunc sese effundit liberaliter per opera charitatis, ut gratitudinem suam pro acceptis divinis beneficiis demonstret, DEUM laudando, & proximo benefaciendo. Radicata igitur fides in Christo vivit vigetq., & ex eo succum vitalem haurit, ut eamquam arbor generosa fructus edat pulcherrimos. Ubi non amplius opponuntur fides & opera, (ut in ipso actu justificationis oppositio illa locum habet,) sed arctissime cohaerent, ut dicendum sit, veram vivamq., non esse fidem, qua operibus destituitur, quemadmodum prolixè ostendit D. Jacobus cap. 2. v. 14. seqq.

LXXXIII. Falsissimum proinde est, fidem justificantem cum studio peccandi, seu peccatis mortalibus simul stare posse. Quod dogma non tantum Pontificiorum in communi est, propter errorneam fidei, quam ipsi somniant, & quæ in hypocritis etiam & impiis est, descriptionem; sed etiam veterum hæreticorum fuit; Simonis Magi, Basilidis, Carpocratis, Gnosticorum, Aëtii, Euzonii, Libertinorum, qui spiritu vertiginis correpti docuerunt, liberum esse hominibus fidelibus, facere quæcumq; vellent, &c.

LXXXIV. Optimè tandem Apologia p. 86. Impossibile est, dilectionem DEI, etsi exigua est, divellere à fide, quia per Christum acceditur ad Patrem, & accepta remissione peccatorum, verè jam statimur, nos habere DEUM, hoc est, nos DEO curæ esse, in-



vocamus, agimus gratias, timemus, diligimus, sicut Johannes docet in prima Epistola (c. 4, 19.) Nos diligimus eum, inquit, quia prior dilexit nos, videlicet, quia dedit pro nobis Filium, & remisit nobis peccata. Ita significat, precedere fidem, sequi dilectionem. Item fides illa, de qua loquimur, existit in pœnitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientie, qua sentit iram DEI adversus nostra peccata, & quarit remissionem peccatorum, & liberari à peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui secundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & obtemperant eis. Ideo Paulus ait (Rom. 8, 1.) Nulla nunc damnatio est his, qui sunt in Christo JESU, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum. Item (v. 12, 13.) Debitor es sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu actiones corporis mortificabitur, viveris. Quare fides illa, qua accipit remissionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec existit cum mortali peccato.

Necessitas  
 ordinis.

LXXXV. II. Necessitas voluntatis DEI, ut Confessio nostra loquatur, seu, quod idem est, ordinis à DEO constituti, & propositi renatis, ad salutem æternam per fidem contendentibus, qui consistit in hoc, ut obediant DEO secundum voluntatem ejus, atque ita reapse (absque tamen ullo meriti respectu) se gratos ei præstent, pro infinitis in se collatis conferendisque beneficiis, ne in ipsos competere possit illud Deut. 32, 6. An Jehova rependere debebas hoc (quod scilicet corrumpit se generatio perversa & contorta, vitio suo,) popule stulte & insipiens? Nonne ipse Pater tuus est, possessor tuus, qui refecit & paravit? (cui proinde obedientiam filialem & gratitudinem omnem debes?) Confer Esa. 1. v. 2, 3, 4. &c.

LXXXVI. Sciendum enim hic, salutis ordinem non tantum complecti causas æternæ salutis invicem connexas subordinatasque, ut sunt, gratia DEI, satisfactio Christi, verbum & Sacramenta, fides perseverans; sed & alia, individua & necessaria, salvandis,



ex voluntate DEI, adjuncta, ut sunt, peccatorum agnitio, cordis  
contritio, crux & calamitas, de qua itidem τὸ Oportet prædicatur,  
Act. 14, 22. Ad quod genus etiam, in adultis & rationis usu præ-  
ditis Christianis, nova obedientia & bonorum operum studium  
pertinet.

LXXXVII. Patetigitur ex his, bona opera, seu pietatis stu-  
dium, & obedientiam renatorum, nullum omnino ad salutem re-  
spectum habere, non rectè asseri. Respectus causalitatis exclu-  
ditur, sed non alius quicunq;. Quâ ratione benignissimus DEUS  
suam ipsis voluntatem in verbo revelavit, eâ etiam ratione ani-  
mis gratis illam amplexantur, respectant, observant. Revelavit  
autem DEUS voluntatem suam ita, quòd per fidem (ut causam or-  
ganicam, eamq; solam, apprehendentem nim. Christi λύτρον, ad  
justificationem coram DEO & salutem æternam) & talem qui-  
dem, quæ per charitatem & bona opera se exerit, ad salutem in  
hac vita speratam, perducere credentes velit; quin & ipsis ope-  
ribus hujusmodi bonis præmia gratuita invita æterna constituit  
& pollicitus est. Ergò hac etiam ratione voluntatem DEI hi  
agnoscunt, & ut salutis æternæ (per solam fidem) fiant actu par-  
ticipes, (sunt enim *spe salvi* hac in vita, Rom. 8, 24.) & ut præ-  
mia illa gratuita à DEO ex mera gratia accipiant, fidem suam car-  
nis crucifixione, & spiritus novitate, seu nova obedientia, ad nor-  
mam Decalogi, exercere student. Unde ut *fidei*, 1. Pet. 1, 9. ita et-  
iam *sanctificationis* (qua membra nostra serva justitiæ præbemus)  
*suas*, dicitur *vita æterna*, Rom. 6, 22. Sed diverso respectu; illius,  
ut terminus ad quem, simul & proprius effectus, causæ instru-  
mentali apprehensivæ respondens; hujus, ut propositus solùm  
à DEO terminus, sine causalitatis ullius respectu.

LXXXIIX. Hoc ipsum indicat D. Gerhardus, Confess. Ca-  
thol. parte ultima, pag. 776. *Necessitas ad efficiendam salutem, &*  
*relatio ad salutem, non sunt ἡ ἀνάγκη καὶ τὸ ἐπίσκοπον, cum in necessitate,*  
*ratione præsentia, etiam sit quædam relatio ad salutem, sicut Bern-*  
*hardus in lib. de gratia & libero arbitrio dicit, bona opera esse*  
*viam regni, non autem causam regnandi.*

LXXXIX. Sed attendamus hic quoq; Scripturæ vocem. *Dicitur Scrip-*

Ccc 3

1. Rom. *prima de*





necessitate  
ordinis ad  
salutem in  
bonis ope-  
ribus.

I. Rom. 2, 7. renati ita describuntur, quod sint hi, qui secundum perseverantiam operis boni gloriam & immortalitatem que-  
runt, (atque his  $\gamma\gamma$  dat, ut Syrus interpres ex versu anteced.  
hoc addit, nim. DEUS, ex gratiâ, propter Mediatorem fide appre-  
hensum) vitam aeternam. Lutherus immutatis textus verbis, sed  
sensu eodem: Preis und Ehre und unvergängliches Wesen (wird  
GOTT geben) denen, die mit Gedult in guten Werken trachten  
nach dem ewigen Leben. v. 10. Gloria & honor, & pax (erit) o-  
mni operanti bonum. His verbis Paulinis & divina voluntas,  
promissioq; gratuita, & respondens huic renatorum fidelis agni-  
tio, ipsiq; conformatum vitæ obsequium, pulchrè exponitur.

XC. II. 1. Cor. 9, 24. An nescitis, quod in stadio curren-  
tes, omnes quidem currunt, sed unus accipit præbium? Sic currite,  
ut comprehendatis, (quid verò?) coronam aeternam, v. 25. En  
currentes renatos, ut comprehendant vitam coelestem. Quid  
verò cursus ille complectitur? fidem in crucifixione carnis &  
vitæ novitate operosam, (Psalm. 119, 9, 32.) cujus seipsum Pau-  
lus exemplum constituit, v. 27, Contundo corpus meum, & in  
servitutem redigo &c.

XCI. III. Eph. 2. postquam gratuita salvationis beneficium;  
sine meritis operum, verbis suavissimis, & velut Solis radto scri-  
ptis exposuisset, viam, qua ad salutem ex ordine divino eundum,  
hunc in modum exprimit, v. 10. Nam ipsius (DEI) sumus opus,  
(nova creatura) conditi in Christo Jesu ad opera bona, qua degen-  
toluaver, preparavit DEUS (æterno suo consilio in ordine salu-  
tis disposuit, quod dilucidè notant verba c. 1, 4. Elegit nos in  
Christo, ante factum mundi fundamentum, ut simus sancti & ir-  
reprehensibiles coram eo in charitate;) ut in eis ambularem, ceu  
in viâ strictâ, quæ ducit ad vitam, quam pauci inveniunt, con-  
trâ autem multi per spaciosam mundi viam, (impietatis hæc est)  
ingrediuntur, quæ abducit in exitium, Matth. 7, 13, 14.

XCII. IV. Phil. 2, 12. Proinde, dilecti mei, quemadmo-  
dum semper obedistis (in studio charitatis, concordia, humilita-  
tis, v. 2, 3, 4. quarum virtutum Christum ipsis proposuerat ex-  
emplum, v. 5. seqq. ita) non tanquam in presentia mea solum,

sed



sed nunc multò magis in absentia mea (porrò obedite; atq; ita) cum timore ac tremore, vestram ipsorum salutem operamini, h. e. occupate vos in iis, quæ salvandis sunt necessaria, seu occupati estote summo studio in iis, quæ sunt ad salutem necessaria, & sine quibus salus constare non potest, ut D. Gerhardus hæc verba explicat, tom. ult. Conf. Catech. p. 777. non nisi salutis ordinem, de quo loquimur, intelligens. Quid autem salutis illa operatio complectitur? fidem in charitate, vitæ innocentia, & bonis operibus divitem fervidamq; ut & antecedentia, de quibus dictum, & consequentia textus, v. 13, 14, 15, 16. apertè declarant, Fitq; ut Apostolus ait, cum timore & tremore, h. e. pia cum sollicitudine & vigilantia, ne à Satana πλεονεκῆθῶμεν, circumveniamur, 2. Cor. 2. v. 10. & in avia impietatis securitatisque carnalis abducti, fidei & salutis æternæ faciamus naufragium.

XCIII. V. Phil. 3, 14. Ea, quæ à tergo sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ à fronte sunt, me extendens, in scopum intendo, ad brabéum superna vocationis DEI, per Christum JESUM. v. 17. Pari- ter estote imitatores mei, fratres, & considerate eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos exemplum. Ecce Paulum fidelibus præeuntem in viâ pietatis, ad ipsum salutis æternæ brabéum, ceu scopum præfixum à DEO; fidem enim, quæ per bona opera se exerit, intelligi, totus contextus, & caput seqvens evidenter declarat.

XCIV. VI. 1. Timoth. 4, 8. Exerce te ipsum ad pietatem (quid verò respicere hoc in exercitio debet?) v. 8. Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habet vitæ præsentis, ET FUTURÆ. v. 9. Indubitatus sermo, & omni acceptione dignus. Exercitium porrò laudatum ita exponit v. 12. Esto exemplar fidelium in sermone (in prædicatione verbi divini,) in conversatione (in culpatâ & honesta,) in dilectione (virtutum reginâ,) in Spiritu (zelo pietatis,) in fide (per quævis opera bona demonstranda,) in castitate (verborum & factorum.)

XCv. VII. 1. Tim. 6, 18. divitibus hanc præscribit regulam: Ut benefaciant, ut divites sint operibus bonis, ut faciles sine



ad impartiendum, libenter communicantes. v. 10. *Ἀποθησαυρίζοντες, in thesaurum reponentes sibi ipsis* (convenit phrasis cum exhortatoriâ illa Christi Matth. 6, 20.) *fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Quibus verbis totius Christianismi summa exponitur, consistentis in fide vera, quâ in Christo vita æterna apprehenditur; & obedientia infucata (ad quam in specie, respectu divitum piorum, beneficentiæ studium pertinet,) quæ fidei immediatum consequens est, & via à Deo salvandis præordinata, quâ ambulent ad vitam æternam, sola fide apprehendendam. Unde ambæ conjunguntur in præcedentibus, v. 11. *Tu verò, homo DEI, ista fuge* (nim. quæstionum spinosarum & inutilium λογισμῶν pruritum, v. 4, 5. avaritiam & cupiditates mundanas, v. 9, 10.) *sectare autem justitiam, pietatem* (hæc generalia sunt; sequitur in specie,) *fidem* (genitricem illam obedientiæ Deo placenti,) *charitatem, patientiam, mansuetudinem.* v. 12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es.*

XCVI. 119. Hebr. 12, 13. *Orbitas rectas facite pedibus vestris* (ambulate ὀρθῶς, rectè, in via mandatorum DEI) *ne quod claudum aberret* (à via illa plana,) *sanetur verò potius.* v. 14. *Pacem sectamini cum omnibus* (Rom. 12, 18.) *& sanctimoniam* (in genere, h. e. sanctitatis & justitiæ studium) *sine quâ nemo* (in vitâ æternâ) *videbit Dominum.* Ut igitur renati videant Dominum (ad quod per solam fidem in Christum, tanquam causam organicam, perveniunt) pacem sectantur, & sanctimoniam student, quæ consistit, tum in peccatorum fugâ, v. 15, 16. tum in cultu DEI sincero & obedientia sincera, v. 28 &c.

XCVII. 1X. 2. Pet. 1. ordo salutis in hunc modum exprimitur, v. 3. *quod divina virtus omnia nobis largita sit, quæ ad vitam ac pietatem pertinent, per agnitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem,* (pulcherrima causæ principalis, & instrumentalis, respectu tam DEI, quam hominum, conjunctio!) v. 4. *Quod maxima nobis & preciosa promissa* (salutis æternæ & præmiorum cœlestium) *donata sint,* (quibus verò? & quomodo affectos illos decet esse, qui horum volunt fieri participes? respondet



det Petrus,) si refugeritis à corruptione, quæ est in mundo per concupiscentiam, (hæc averfatio mali est; fequitur feftatio boni, perinde neceffaria falvandis;) v. 5. Sed & in hoc ipfum, omni adhibito studio, subministrare in fide veftra (qua, ceu organo θεοδότης, falus apprehenditur) virtutem; cui in fpecie fcientia, temperantia, patientia; rurfus in genere pietas, iterumq; fpecialius fraternæ charitas, & dilectio (erga omnes homines, non folùm fratres) fubjunguntur, v. 6, 7. Additur etiam exhortatio, v. 10. Operam date, ut (dicta ratione) vocationem & electionem (ad falutem) veftram, firmam (in corde veftro, & confcientia bona) faciatis. Tandem claufula fubjicitur, v. 11. ἄνω, ad hunc enim modum abunde fubminiftrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noftri, & Servatoris JESU CHRISTI.

XCIIIX. Hæc de ordine divino ad falutem. Num verò neceffitatis etiam vox de hoc in Scripturis expreffè ufurpatur? Omnino. X. Act. 15. in Collegio Apoftolorum, poft remotam damnatamq; Pſeudoapoftolorum doctrinam, de neceffitate bonorum operum ad falutem iis promerendam, aliam neceffitatem ipſi ponunt, charitatis nimirum Chriftianæ erga converfos Judæos, in fide adhuc infirmos, ejusq; exercitii circa res adiaphoras, donec in fide illi adefcant & consolidentur, v. 28. Viſum eſt Spiritui Sancto nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quàm hæc NECESSARIA, (ad rectè pièqve vos gerendum in via falutis.) v. 29. Ut abſtineatis (in gratiam, ut dixi, infirmorum fidelium ex Judæis) ab his, quæ funt immolata ſimulacris, & ſanguine, & ſuffocato, (hisq; additur morale aliquod, perpetuæ neceffitatis in Eccleſia; additur autem ideò, quòd penes gentiles pro peccato id vix haberetur, nim.) & ſcortatione.

XCIX. XI. Rom. 8, 12. Proinde, fratres, ὀφειλέται, debitores ſumus, (incumbit nobis neceffitas,) non carni, ut ſecundùm carnem vivamus, (ſubintelligitur ἀντίθετον; ſed Spiritui, ut ſecundùm Spiritum vivamus.) v. 13. Nam ſi ſecundùm carnem viveritis, moriemini (morte æterna:) Si autem Spiritu facta corporis mortificetis, vivetis (in æternum.) En igitur debitum, & neceffitatem mortificationis carnis, & vitæ novæ, ſi mortem æternam effugere, & vitam æternam obtinere velimus; non ob causalitatem in his aliquam reſpectu falutis, ſed ob ordinem divinitus conſtitutum.

D d d

C

An neceſſitatis vox de B.O. reſpectu ordinis ad falutem, in SS. extet?



C. XII. Rom. 13. hoc ex fundamento Paulus bonum opus subjectionis & obedientiæ erga magistratum, necessarium esse Christianis, asserit, v. 5. *Quapropter carissimi, necesse est subisci non solum propter iram, (pœnam inobedientibus & rebellibus lege constitutam,) sed & propter conscientiam (fidelium, ut & in hoc divinæ voluntati, & salutis ordini se conforment. Act. 24, 15, 16.)*

Cl. XIII. 1. Cor. 9, 16. Paulus deman dati sibi muneris actiones perinde necessarias esse statuit: *Si evangelizem, non est quod glorier, (ac si quicquam eo merear ad justificationem & salutem æternam, c. 4, 4.) necessitas enim mihi incumbit (ut id faciam, ob mandatum & voluntatem DEI, c. 1, 1.) vix autem mihi est, si non evangelizem. v. 17. Nam si volens hoc faciam, primum habeo, &c.*

CII. XIV. Heb. 10, 36. *Patientia (in persecutionibus & adversis rebus, de qua totus contextus loquitur) vobis necessaria est, (ad quid verò?) ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionem, quæ nim. facta est à DEO ex mera gratiâ, fidelibus & perseverantibus σωτηρίᾳ, implenda in beata æternitate, Matthæi 5, 10, 11, 12. Luc. 6, 22, 23. Apoc. 2, 10 &c. D. Lucas Osiander in gloss. Qui vult, secundum voluntatem DEI, veritatem Evangelii profiteri, & pie atq; sancte vivere, is multa patientia opus habet, ne à tam sancto proposito, periculis & afflictionibus, depellatur. Patientes esse oportet, qui promissam hereditatem cœlestem apprehendere velint. Quod de virtute patientiæ in specie hic dicitur, idem de virtutum Christianarum choro amabili, seu toto vitæ Christianæ & bonorum operum curriculo, verissimum, ut ex dictis hæctenus Sole meridiano clariùs apparet.*

De Phrasi:  
B. O. sunt  
necessaria  
ad salutem.

CIII. Ex his igitur judicare licet, quid de phrasi; *bona opera sunt necessaria ad salutem*, sentiendum sit? Si nim. sensu, § 80. adducto, intelligatur, ut eam Pontificii accipiunt, falsissima, & in meritum Christi contumeliosa est. Attamen negari non potest, à Theologis quibusdam nostratibus fuisse quandoq; usurpatum sensu bono, & Scripturis sacris consentaneo, ut necessitas saltem ordinis ad salutem (absq; ullo respectu causativo) denotetur, sensu nim. hoc: *Necesse est, ut homo renatus, & salutis æternæ cupidus, fidem suam (quæ solâ salvatur) per bona opera demonstrat. Vel, his, qui salvari post mortem expetunt, necessaria est fides ejusmodi, quæ (sola quidem Christum, vitæ ac salutis æ-*

ter-



terna *δεξιόν* complectitur, simul autem respectu alio) *per charitatem efficax est*, Gal. 5, 6. (nisi enim hoc sit, falsam sibi de fide vera persuasionem induent.) Vel, credentes, qui ad salutem æternam contendunt, necessaria conjunctione, non solum regenerationis, sed & renovationis beneficio Deus afficit; Priori, quo coram Deo consistant iusti, & salventur; posteriori, quo obedientiam Deo debitam præstent, & gratitudinē suam ei declarent.

CIV. Necessitas, inquam, non efficientiæ vel meriti, sed præsentia solum, atq; ordinis, de quo antè dictum, ab illis hic attenditur; & verba, *ad salutem*, non effectum producendum per opera, sed terminum tantum viæ pietatis denotant. Quemadmodum B. Chemnitius in tract. de bonis oper. renatorū, p. 28. (edit. Witeb. in fol.) ubi verba Pauli Rom. 10, 10. *Ore confessio sit ad salutem*, explicat: *Sic (inquit) illa phrasis, AD SALUTEM, non semper significat causam, propter quam quis eam accipiat, sed ordinem DEI, quibus is gradibus salutem nostram perficiat, & quomodo aliud ex alio sequatur. Sicut Rom. 6, 22. dicitur, quod finis peccatorum sit mors, finis autem sanctificationis sit vita æterna; non quod sanctificatio nostra sit causa vitæ æternæ; nam mox v. 23. additur: Donum DEI vita æterna; sed quod hos gradus conversionis, tandem vita æterna sequatur.*

CV. Quod si totum etiam prædicatum, *necessarium esse ad salutem*, consideretur, notius est, quam ut probationis indigeat, illud quoq; *necessarium ad aliquid* dici, quod causa ejus efficiens non est, ut, præter alia, locus Heb. 9, 16, 17. ostendit, cui inest hæc propositio: *Mors testatoris est necessaria ad testamenti firmitatem*, cum tamen hujus causa efficiens, mors non sit; quid enim privatio mera, influxu reali efficere hic posset? Ut jam taceam illud, quod supra quoq; adductum, ex Act. 14, 22. ubi quod asseritur, æquipollet huic: *Cruce fidelibus necessaria est ad ingressum in regnum DEI, seu vitam æternam*; cum tamen hujus causa efficiens crux haudquaquam sit, ut per se planum est.

CVI. Hæc de sensu phraseos probo. Num autem propterea liberè propositio illa usurpanda, mordicus defendenda, proq; usu ejus, tanquam pro aris & focis, ac si totius Christianismi cardo & apex in explicita ejus usurpatione consisteret, & absque ea pietatis studium plantari non posset, digladiandum? Minimè o-

*An phrasis illa usurpanda?*



anium. Cautum de hoc in Concordiæ nostræ formulâ, & usu  
ejus, ob ambiguitatem magnam, & quòd Pontificiorum senten-  
tiæ vicina sit, certè ab imperitiis habeatur, (unde etiam re-  
ducendæ illi obstetricari commodè posse, libri Metaxyci con-  
farcinatoribus visa est) interdictum; ut & in aliis Ecclesiarum,  
veram doctrinam amplectentium, confessionibus & symbolicis  
scriptis, ut sunt, Corpus doctrinæ Julium, & Prutenicum, Con-  
fessio Mansfeldensis, Ruthenica, & alia. Accedunt permulta &  
ferè innumera Doctorum Ecclesiæ, & Theologorum, phrasin  
eam improbantium, testimonia, quæ in medium proferre, cum ab  
aliis abundè factitatum hoc sit, jam superfedemus.

CVII. Huic igitur *circumfusa nobis testiū nubi*, (ut Apostoli ver-  
bis utamur, Heb. 12, 1.) ac totius Ecclesiæ consensui adsurgere, &  
nos attemperare, adeoq; phrasi illa; *bona opera esse necessaria ad salu-  
tē*, abstinere, omninò par est. Tot & talia Scriptura S. suppeditat  
pietatis inculcandæ, tam rerum quàm verborum pondera, ut, qui-  
bus hoc muneris præcipuè impositum, acquiescere illis tutò pos-  
sint, nec opus sit, quin nec deceat, controversiis non necessariis  
pacem Ecclesiæ turbare. Plura addere non lubet, cum plus satis,  
in conflictibus publicis, de hoc themate fuerit actum.

CIX. Claudant dissertationē hanc verba D. Lucæ Osland. in hist.  
Eccl. cent. 16. p. 435. ubi contra librū *Interim* inter alia sic loquitur:  
*Falsum est etiam, quod asserunt (Interimistici Theologi), eam fidem  
esse veram fidem, quæ à charitate sit disjuncta. At Paulus docet  
(Gal. 5, 6.) eam fidem justificare, quæ per charitatem est efficax:  
hac enim notā discernit Paulus veram justificantem fidem à mor-  
tuā & historicā fide, quòd illa sese exerat & ostendat per charita-  
tem; nec tamen charitati vim justificandi tribuit; fidem verò, quæ  
non proferat fructus charitatis, sed sit mortua, quæ nihil opere-  
tur boni, non esse veram fidem. Sicut igitur pictus ignis, non est  
verus ignis, neq; enim lucet neq; calefacit: Sic etiam fides, quæ  
non sese per opera charitatis (in hominibus adultis) exerit, non  
est vera & justificans fides, de qua fide Paulus & nos loquimur,  
quando de fide justificante agimus.*


Corrigenda.

Th. 27. l. 18. induere. Th. 31. l. 11. possunt. Th. 37. l. 12. deleatur, causa. Th. 39.  
l. 3. dele punctum. l. 5. Confer. Th. 69. l. 12. asserit. Th. 91. l. 10. conf. Cathol.





















Fol 808a

ULB Halle

3

002 728 176



7A-502

60A











17.  
D. O. M. A.  
DISSERTATIO-  
NUM SUPER AUGUSTA-  
NAM CONFSSIONEM,

EJUSQUE  
APOLOGIAM,  
DECIMA,  
DE

BONIS OPE-  
RIBUS,

EX ARTICULO SEXTO,  
(ut & vigesimo;)

In conventu Pastorum, inclyti Duca-  
tus Saxo-Gotani,  
*placida consensu exposita a*

SALOMONE GLASSIO, D.  
& SUPERINTENDENTE,

RESPONDENTE  
NICOLAO ELIA DIETZ.  
Pastore Tondorffensi, & Dioceseos Go-  
tanae Adjuncto.

D. 17. Julii . horis a 7. matutinis,  
Anno M. DC. L.

GOTÆ  
TYPIS RETHERIANIS  
Excusa a Johanne Michael Schallio.

24 1975

9. 11.

